34

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

STEPHANUS TAURINUS OLOMUCENSIS

STAUROMACHIA
ID EST
CRUCIATORUM SERVILE BELLUM
(SERVILIS BELLI PANNONICI LIBRI V)

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXLIV. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

STEPHANUS TAURINUS OLOMUCENSIS

STAUROMACHIA

ID EST

CRUCIATORUM SERVILE BELLUM (SERVILIS BELLI PANNONICI LIBRI V)

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXLIV. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

Jq kot
~~114.921~~
114.931

EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA DE ÁRPÁD NOMINATA, SZEGED

INTRODUCTIO.[1]

I. — De vita operibusque Stephani Taurini Olomucensis.[2]

A) Vita.

Stephanus Taurinus[3] circa annum 1485.[4] Olomuntii[5] familia Morava,[6] quae origine, sicut e nomine originali conicimus, Germanica[7] erat, natus est, nomen enim eius familiare Stieröxel[8] fuit, quod iuvenis postea, certo Viennae, more aetatis humanisticae in Taurinum mutavit. Stephanus noster prima litterarum elementa in civitate natali didicit.[9] Patronus eius primus iam Olomuntii Augustinus Moravus Olomucensis[10] secretarius Uladislai II. Hungariae (1490—1516.) et Bohemiae (1471—1516.) regis, postea vicecancellarius eiusdem regis factus est, quo commendante, ut credimus, alios patronos, Stanislaum Thurzo (s. Thurzonem) episcopum Olomucensem et fratrem eius Iohannem episcopum Vratislaviensem (Breslau) sibi comparavit.[11] Amici eius Olomuntii fuerunt Venceslaus et Hadrianus[12] de Wylhartycz[13] Moravi fratres.[14] Fieri potest, ut iam ibi in ordinem Praemonstratensium[15] assumptus sit. Trium patronorum, praesertim autem — sicut suspicamur — Iohannis Thurzo[16] patrocinio usus studiis Olomuntii finitis circa annum 1504.[17] Viennae in numerum scholarium nationis Hungaricae[18] facultatis artium universitatis inscriptus est, ubi anno 1507., sed ante diem 14. mensis Aprilis magister artium,[19] mox doctor artium et iuris utriusque[20] factus est. Die 27. mensis Iunii a. 1507. Taurinus magister in honore Sancti Ladislái regis Hungariae (1077—95.), patroni scholarium nationis Hungaricae Viennae studentium orationem habuit.[21] Magistri eius celebriores in universitate Viennensi fuerunt Thomas Resch (Velocianus) et Georgius Tannstetter (Collimitius).[22] Aliquot carmina iam hic ab eo esse composita credimus.[23] Amicos sibi comparavit Ioachimum Vadianum (Watt) Helvetium,[24] Adrianum Wolphardum,[25] Collimitium prius magistrum, Richardum Bartholinum,[26] Rudolphum Agricolam (Baumann) Iuniorem Rhetum[27] et fortasse Martinum Thyrnavinum.[28] Viennae adiutor eius factus videtur Georgius marchio Brandenburgensis,[29] tutor Ludovici regis iunioris (1508—16.), postea regis Hungariae et Bohemiae (1516—26.), quo et fratribus Thurzo et Augustino Moravo adiuvantibus — studiis Viennae finitis — circa annos 1509.[30] vel 1510. vel prima parte anni 1511. iurisconsultus[31] in aulam Thomae Bakócz archiepiscopi Strigoniensis[32] (1497—1521.) et cardinalis (1500—) devenit, quem anno 1511. exeunte Romam comitatus est, unde una cum archiepiscopo anno 1513. exeunte in Hungariam reversus est, etquidem primum Strigonium, inde autem mense Martio anni 1514. Budam.[33] (Vadianus et Collimitius autumno anni 1513. — Taurino amico absente — una Budam profecti sunt.[34]) Taurinus exeunte Aprili anni 1514. Buda ad Vadianum scribit se continuis cardinalis ceterisque id genus legationis suae inevitabilibus officiis

esse praepeditum.[35] Interea enim archiepiscopus promulgavit secundum bullam Leonis X. papae bellum crucigerorum contra Turcas; certe ea de causa Taurinus legatus cardinalis in quasdam Hungariae partes missus est, maximam autem partem certe Budae et Strigonii morabatur. E bello crucifero autem mox (a mense Maio usque ad Septembrem) duce Georgio Dósa (Székely, Zeglius, Zeclius) bellum rusticum ortum est. Nunc iam fortasse his ex causis circa mensem Maium missus est Taurinus a cardinale Viennam — ut credimus — ad Maximilianum caesarem[36] (1493—1519.). Ibi amici Vadianus, Collimitius et Iacobus Spiegel iureconsultus et secretarius caesareus in convivium Socraticum vocaverunt.[37] Mox rediens iam Strigonii invenisse videtur Agricolam Cracovia tunc redeuntem,[38] quem fortasse iam scholaris Viennensis cognoverat. Taurinus tota aestate hic (et fortasse Budae quoque) morabatur, cum alia legatione ab archiepiscopo mandatus est. Ut credimus, circa ineuntem mensem Septembrem[39] — finito bello rustico — Olomuntii apud Stanislaum Thurzo, Nissae[40] (Neisse in Silesia Prussica) apud Georgium marchionem et Iohannem Thurzo legati munere functus est. Olomuntio epistolam misit Vadiano, quam nec Vadianus accepit nec nos habemus.[41] Nissae ab Iohanne episcopo ad symposion Socraticum vocatus est, cui praeter marchionem Venceslaus de Wylhartycz quoque aderat, ubi de bello rustico (nuper finito[42]) quoque mentio facta est, cuius scribendi consilium Taurino ab episcopo[43] datur. Taurinus iam circa medium mensem Octobrem,[44] ut suspicamur, una cum Iohanne Borgbirio Nisseno mathematico Strigonium in aulam archiepiscopi reversus est,[45] cum enim Agricola die 28 mensis Octobris a. 1514. Viennam profectus est, epistolam Taurini quoque secum portavit.[46] Poeta noster mox Strigonii[47] non opus historicum, sed carmen epicum componere aggressus est. Taurinus a. 1515. monasterium Praemonstratensium Obrowiczense[48] adiit, ubi in quodam diplomate se ut canonicum ecclesiae collegiatae ad Sanctum Petrum Brunnensis ac Liegniczensis ascripsit.[49] Quando Taurinus canonicus factus sit, ignoratur; anno superiore verisimile est, cum Nissae moratus est.[50] Taurinus interea in aula Strigoniensi cardinalis quamvis multis obsequiis obstrictus[51] carmen epicum conscripsit et usque ad medium mensem Aprilem a. 1517. lima quoque excepta paene ad finem perduxit.[52] Strigonii vel Budae cognovit Iohannem de Megereche, canonicum Albae Iuliae (Gyulafehérvár in Transilvania) et archidiaconum Colosiensem (Kolozs in Transilvania), quem prima parte anni 1515. secretarium regium fuisse novimus. Megerechensis nonnullas inscriptiones Romanas a se in Dacia (Transilvania) repertas Taurino tradidit, quae posterius Indici Abcdario insertae sunt.[53] A. 1515. Borgbirius, quamvis non multo post, quam Strigonium pervenit, Viennam repetiturus erat,[54] certe Taurini suasu et in Hungaria remansit et quendam libellum (de solis et lunae eclipsibus a. 1516.) composuit cardinalique Kalendis Ianuariis a. 1516. dedicavit; huic libro Taurinus quoque Phalaecium quoddam in laudem mathematici compositum adiunxit.[55] Taurinus exeunte anno 1516. quoque Strigonii morabatur, nam a Vadiano in epistola die 11. mensis

Decembris eiusdem anni scripta epistolas Augustini Moravi Olomucensis ad eum (Vadianum) scriptas rogat, quas Iohannes Thurzo — certe Taurino adiuvante — edere voluit.[56] Miseritne Vadianus epistolas Taurino necne, ignoramus; quia Taurinus iterum de silentio Vadiani conqueritur,[57] fieri potest, ut nunc quoque frustra rogavit amicum, epistolae enim non editae sunt. Taurinus Iohanne de Megereche die 15. mensis Aprilis a. 1517. mortuo[58] in eius locum, ut certo putamus,[59] canonicus Albae Iuliae (Gyulafehérvár in Transilvania), quo mox Buda[60] proficiscitur, electus est; ibi archidiaconus et vicarius et iurisconsultus quoque fit.[61] Ibi tum patronus eius Franciscus de Warda episcopus Transilvanus Albae Iuliae praesidens[62] est, cuius in aula Adrianus Wolphardus,[63] quem fortasse iam Viennae cognoverat,[64] Thomas Pellaeus et Udalricus Budensis morabantur.[65] Praecipue cum Adriano amicitia coniunctus est. Novem menses autem iurisconsultus noster multis rebus ecclesiasticis admodum occupatus carmen epicum limare tempus non habuit, immo in diutinum et gravem morbum incidit; quamquam medicus Andreas Selingus[66] Cibinio (Nagyszeben in Transilvania) accersitus libros quoque ei attingere vetuisset, aegrotus et certo postea tandem sanus factus[67] ab ineunte anno 1518. usque ad finem eiusdem anni (Dedicationem ad Georgium marchionem Kalendis Ianuariis a. 1519. Albae Iuliae scripsit) ultimam manum Stauromachiae imposuit.[68] Quamvis Uladislaus II. rex a. 1516. mortuus est et Taurinus a. 1518. exeunte carmen epicum finivit, in Stauromachia de Ludovico II. rege (1516 - 26.), filio Uladislai regis mentio non fit, de quo — ut vaticinatio post eventum est — Taurinus loquitur.[69] Ibidem Wolphardus quoque carmen epicum de bello rustico composuit, quod autem periit;[70] fieri potest, ut opera sua una elaboraverint.[71] Indicem Abcdarium Stauromachiae duobus mensibus (Ianuario et Februario[72] a. 1519.) composuit (Epilogum Albae Iuliae, aedibus suis die 6. mensis Martii a. 1519. scripsit). Totum sic opus perficiens manuscriptum ad Udalricum Fabri Rhetum professorem universitatis Viennensis et Franciscum Siculum Transilvanum[73] — Vadianus tunc iam in patriam (in Helvetiam, Sanctum Gallum) reversus est — misit, ut excuderetur, qui carminibus suis adiunctis apud Iohannem Singrenium a. 1519.[74] excudendum curaverunt. Taurinus interea, ut credimus, iterum aegrotus factus est, quare Cibinium ad medicum Selingum profectus est, ubi die 11. mensis Iunii eiusdem anni (in vigilia Pentecostes a. 1519.) circa triginta quattuor annorum diem supremum obiit.[75] Opus excusum certo non vidit. — Taurinus multos patronos (Augustinum Moravum, Stanislaum et Iohannem Thurzo, Georgium marchionem, Thomam de Bakócz, Franciscum de Warda) habuit, quorum nec in aula nec in circulo litterario diu moratus versatusque est. — Linguam Hungaricam quoque aliquantulum didicit, cuius nonnulla indicia habemus.[76]

B) Opera (ordine chronologico).[77]

Ad nostram aetatem manserunt: 1. Quaedam elegia (a. 1511.).[78] — 2. Quidam Graecus trimeter iambicus in pentametrum Latinum versus (1512—13.).[79] — 3. Epistola I. ad Vadianum die 28. mensis Apri-

lis a. 1514. Budae scripta et Viennam missa.[80] — 4. Quoddam epigramma post Martialem[81] compositum (a. 1514.).[82] — 5. Epistola II. ad Vadianum die 28. mensis Octobris a. 1514. Strigonii scripta et Viennam missa.[83] — 6. Quoddam Phalaecium (hendecasyllabi) (1515 – 16.).[84] — 7. Epistola III. ad Vadianum die 11. mensis Decembris a. 1516. Strigonii scripta et Viennam missa.[85] — 8. Stauromachia (carmen epicum) una cum dedicatione et marginalibus et indice abcdario et epilogo (1519.).

Perierunt: 1. Oratio in laude Sancti Ladislai Viennae die 27. mensis Iunii a. 1507. habita.[86] — 2 Epistola Vadiano circa mensem Septembrem a. 1514. Olomuntii scripta et Viennam missa.[87] — 3. Epistola quaedam ad quendam nomine nobis ignotum die 11. mensis Decembris a. 1516. Strigonii scripta et Viennam missa.[88] — Certe nonnulla carmina minora et epistolae aliae plures quoque vel perierunt vel latent.

[1] Bibliographiam ad Taurinum attinentem nos in fine Introductionis collocavimus; libros, qui non ad ipsum Taurinum attinent, nos in commentariis citamus. — Errores minores scriptorum in Bibliographia memoratorum evidentes, ne commentarios nimis augeremus gravaremusque, unum post alterum refutari supervacaneum esse duximus, quorum igitur maiorem partem et quae aliquanti momenti sunt, in Bibliographia in fine singulorum librorum in parenthesibus [ ] correximus.

[2] Hoc est primum idemque completissimum de Taurini vita scriptisque a nobis compositum, quorum indicia imprimis e Stauromachia et ex epistolis Taurini sodaliumque et ex libris coaevis hausimus.

[3] Taurinus se ipsum Stephanum Taurinum vel Stephanum Taurinum Olomucensem nominat, amici eius Stephanum Taurinum vel Taurinum.

[4] A. 1507. magister artium factus est (Wolphardus [v. comm. 17.] a. 1491. natus a. 1511. magister artium factus est. [Ernuszt, pp. 5. et 7.].)

[5] Sive Olomuntia (Staur., 3., 275., Marg. 3., 275.). — De civitate eiusque claris doctisque viris Taurinus profusius loquitur in Ind. Abcd, 79—85. — Taurinus certo Olomuntii natus est; se ipsum Olomucensem et patriam Olomuntium (metropolim, urbem capitalem Moraviae, Ind. Abcd., 83.) et nativum (v. comm. 41.) nominat.

[6] Taurinus se ipsum Moravum professus est: Ind. Abcd., 79.: Olomuntium Moravorum *nostrorum* metropolis. — Cetterum tantum Hanerus nominat eum Stephanum Taurinum Moravum Olomucensem. (Cf. Augustinus Moravus Olomucensis, Egidius Moravus [Arbenz, t. 24., p. 129.] Adrianus Vilharcius [Wylhartycz s. Wilharticz (v. comm. 12.)] Moravus [Ernuszt, p. 41. (comm. 6. p. 40.)].).

[7] Denis, p. 331.: Mich freut es den deutschen Namen des Verfassers entdecket zu haben.

[8] Sic inscriptum est nomen eius coaeva manu involucro interno exemplaris Windhagiensis, etquidem scriptura illius aetatis: x pro chs (Denis, p. 331.; [v. comm. 7.) — Sic (Stieröxel) nominant eum: Kemény, Arbenz, Szinnyei, Fógel, Pintér, Horváth, Hóman, Ernuszt; Stieröchsel: Engel, Frankl, Márki, Buday, Császár; Stieröchsl: Bartoniek; Stierochsl: Beöthy—Hegedüs; Stieröchs: Klimes; Taurinum hoc nomine non memorant: Wallaszky, Apponyi, Schrauf, Ábel—Hegedüs, Tóth—Szabó; quia nomen Stieröxel primum Denis publicavit, Belius, Hanerus et Pray, quorum opera ante librum Michaelis Denis in lucem prodierant, hoc nomine Taurinum ignorant; quomodo scripserit Wolke, nescimus, quia librum eius videre nobis non contigit.

[9] Ind. Abcd., 82.

[10] Ind. Abcd., 82.: . . patronum . . — Falso eum cognatum Taurini memorat Horváth, p. 210. — Taurinus ex affinibus tantum de Martino Iglaviensi (Iglau in Moravia) facit mentionem (Ind. Abcd., 83.). — Taurinus non cognatos, sed amicos et artiore amicitiae necessitudine sibi coniunctos nomi-

nat *meos:* Augustino meo (Arbenz, t. 24., p. 174.), Egidium Moravum meum (ibidem, p. 129.), Aegidius meus (ibidem, p. 174.) meo cum Venceslao de Wylhartycz (Ded. Staur., 1.), meus . . . Richardus Bartholinus (Ind. Abcd., 56.). Fieri potest, ut ideo Horváth Taurinum Augustini Moravi cognatum crediderit.

[11] Ded., 4.: toti Thurzigenae domui omnia debeo. Ded., 1.: Ioannes. — Cf. Ded., 3. — Taurinum igitur Sigismundus Thurzo et Franciscus Thurzo episcopi, fratres Iohannis et Stanislai quoque adiuvabant et fortasse horum avunculus Alexius Thurzo.

[12] Adrianus Vilharcius (v. comm. 6.) Moravus hendecasyllabos scripsit ante editionem panegyrici ad Marcellum scripti Iani Pannonii a. 1522. Basileae editam. (Teleki, Samuel), Iani Pannonii opusculorum pars altera, Traiectum ad Rhenum (Utrecht), 1784., p. 282—84.; v. comm. 13.

[13] Sive Wilharticz (Ind. Abcd. 83. bis) s. Vilharcius (Teleki [comm. 12.], p. 282.).

[14] Ded. 1.; Ind. Abcd. 83., ubi alios quoque amicos enumerat; Ernuszt, p. 41. (comm. 6. p. 40.).

[15] Cum Taurinus die 27. mensis Iunii a. 1507., die Sancti Ladislai regis Hungariae (1077—95.), patroni scholarium nationis Hungaricae in universitate Viennensi studentium in laudem eiusdem orationem habuit, venerabilis vir memoratur (Schrauf, p. 262.; v. comm. 21.). — In epistola Taurinus ad Vadianum die 28. mensis Octobris a. 1514. scripta memorat se Strigonii cum hominibus *eiusdem* albi (sc. reverenda vestis ordinis Praemonstratensium alba est) existentibus vivere (Arbenz, t. 24., p. 128.). — Petrus Cerronius in epistola ad Iohannem Engel missa scribit Taurinum in diplomate quodam sublati monasterii Praemonstratensium Obrowiczensis a. 1515. testem, etquidem ut canonicum ecclesiae collegiatae ad Sanctum Petrum Brunnensis ac Liegniczensis adscriptum esse (Engel, p. XII.).

[16] E Dedicatione (1.) credimus.

[17] Adrianus Wolphardus duodeviginti annorum (a. 1509.) in facultatem artium universitatis Viennensis assumptus est (Ernuszt, p. 7.; cf. comm. 4.).

[18] V. comm. 15., 19. et 21.

[19] Etquidem semestri hiemali anni scholastici 1506/07. (tunc semester II [nunc I.] anni scholastici 1506., qui a die 13. mensis Octobris [festum Colomanni] a. 1506. usque ad diem 14. mensis Aprilis [festum Tiburcii] a. 1507. duravit), hoc enim modo in matricula universitatis Viennensis (Magistri arcium cuiuscunque status sive condictionis infra baronatum et prelatos minores) legimus: Anno Domini *millesimo quingentesimo septimo* sub procuracia mag. Georgii de Sancta Anna, sacre theologie professoris sunt intitulati magistri infrascripti a festo Colomanni usque festum Tiburcii: ... Mag. Stephanus de Olmocz, dedit sol. 1, den. 2; idem factus est (sic pro fecit v. habuit) sermonem in die divi Ladislai (Schrauf, p. 49; v. comm. 75.).

[20] V. comm. 75.: ... arcium ac iuris utriusque doctor...

[21] Acta procuratorum a. 1507.: Venerabilis vir mag. Steffanus Olomuczensis in patrocinio divi regis Ladislai concionem ad clerum (consuetudine hactenus observata) fecit, qui mercedem laboris sancto regi et nationi liberaliter obtulit (Schrauf, p. 262., v. praeterea comm. 19.). Schrauf in p. LXVIII. erronee scribit Taurinum in laude Sancti Ladislai regis bis, etquidem annis 1506. et 1507. orationem habuisse; arbitratus est enim orationem in Matricula (v. comm. 19.) et in Actis procuratorum memoratam non eandem, sed duas orationes fuisse. Scire enim debemus in matricula nomina magistrorum plerumque non tunc, cum magistri facti sunt, sed saepe posterius inscripta sunt; si autem fortasse non, tunc tantum mentio de oratione inscripta est posterius. Taurinus igitur a. 1507., sed ante 14. Apr. factus est magister, orationem autem de Sancto Ladislao die 27. mensis Iunii eiusdem anni habuit; parum credere possumus scribam primum de Taurino a. 1507. magistro facto, deinde de eiusdem oratione a. 1506. habita fecisse mentionem. Ceterum elucet Carolum Schrauf alia scripta, quam Matriculam et Acta, de oratione a. 1506. habita non habuisse: oratio a. 1506.: Mag. Steph. Taurinus de Olmocz (v. Matricula: comm. 19. et 75.); a. 1507.: Mag. Steffanus Taurinus Olomuczensis (Acta procuratorum).

[22] Taurinus in quadam epistola ad Vadianum missa complures magistros suos per Vadianum salvere iubet (Arbenz, t. 24., p. 118.; v praeterea p. 129.)

[23] Carmen eius vetustissimum (elegia), quod novimus, a. 1511. editum est (Denis, p. 52.; v. inter opera Taurini inferius).

[24] Tres epistolae Taurini ad Vadianum scriptae ad nostram aetatem quoque remanserunt (v. inter opera Taurini inferius).

[25] V. comm. 17.

[26] V. comm. 10. — Ind. Abcd., 56.: Taurinus orationem Bartholini, quam in comitiis imperialibus mense Augusto Augustae Vindelicorum (Augsburg) habuerat, vidit necnon syntagma eorundem comitiorum aheneis prelis excusa (sic; si vocabulum *excusa* in nomin. plur. neutr. gener. est, tunc oratio Bartholini quoque excusa est; fieri autem potest, ut Taurinus erronee habuerit syntagma femin. gener. pro neutr. gener. et tunc oratio non excusa sit: orationem igitur Bartholinus fortasse ipse Taurino in manuscripto tradidit).

[27] Fieri potest, ut Taurinus et Agricola Viennae amici facti sint. A. 1514. Strigonii in aula archiepiscopi una fuerunt. (Cf. comm. 38.)

[28] A. 1506. scholaris in universitate Viennensi fuit. (Horváth, pp. 260., 262.) — Scripsit carmen epicum, cuius titulus: Ad regni Hungariae proceres, quod in Thurcam bella movere negligunt (in hac Bibliotheca nunc excuditur).

[29] Cui Stauromachiam dedicavit. — Horváth (p. 202.) tantum Stanislaum Thurzo et Augustinum Moravum fuisse patronos Taurini erronee credit (Ded., 1.; v. comm. 16; cf. comm. 11.).

[30] Taurinus a. 1507. factus est magister et mox doctor artium et iuris utriusque: doctoratus intra annos 1507. et 1509. vel anno 1510. eum esse assecutum credimus. (V. comm. 75.)

[31] V. comm. 55. — Taurinus non solum Strigonii, sed etiam Albae Iuliae imprimis munere iurisconsulti functus est (cf. comm. 37. et 61.).

[32] Strigonium s. Istrogranum: Esztergom — sedes archiepiscopalis.

[33] Totum iter Taurinus describit in libro I. Stauromachiae, vv. 101—337.

[34] Apponyi, Hung. p. 73., Germ. 74., Hung. 76., Germ. 77., Hung. 95., Germ. 96. — Klimes, pp. 67—69. (in commentariis p. 68. menda typographica sunt: pro 1. legendum 2. et pro 2. leg. 3.).

[35] Die 28. — Arbenz, t. 24., p. 118.

[36] Certo ex causis maioris momenti et non amicorum causa Taurinus Viennam profectus est.

[37] In quodam libello a. 1515. excuso (Denis, pp. 121—23.) quaestiones geographicas continenti invenitur epistola responsoria Vadiani 16. Oct. 1514. ad Agricolam missa, quae epistola iterum edita est in editione Pomponii Melae librorum de situ orbis trium a. 1518. edita (Denis, pp. 186—88.; Arbenz, t. 24., pp. 254—56.; Ábel—Hegedüs, p. 475.), in qua epistola legimus Taurinum iurisconsultum, virum optimum et doctissimum Roma reversum Viennae apud eum (Vadianum) Collimitiumque et secretarium caesareum una se amica iucunditate oblectasse (Denis, p. 122.; Arbenz, t. 24., p. 256.; Ábel—Hegedüs, p. 475.). Cum Vadianus scribit Taurinum *Roma reversum* Viennae constitisse, nonnulli (Vögel [v. comm. 38.], Klimes [p. 66.]) credebant Taurinum Roma redeuntem una cum cardinale non Strigonium, sed cardinale separatum Viennam esse profectum. Quod certo non est verum, nam Taurinus clare scribit se Roma una cum cardinale Strigonium pervenisse (Staur. 1. 172—80). Ceterum in hac epistola Vadianus scribit ad Agricolam se ab eo tempore, quo Viennae una fuerant, a Taurino nullam epistolam accepisse; Taurinus autem die 28. mensis Aprilis a. 1514. scripsit epistolam ad Vadianum, quae in epistolario Vadiani invenitur (Vadianus igitur accepit epistolam); si igitur Taurinus exeunte a. 1513. vel ineunte a. 1514. Roma reversus Viennae fuisset, Vadianus non scripsisset ad Agricolam 16. Oct. 1514. se ab eo tempore, quo Viennae una fuerant, a Taurino nullam epistolam accepisse. Certum est igitur Taurinum non multo post (nos mensem Maium fuisse credimus), quam epistolam exeunte mense Aprili ad Vadianum scripsit, Viennam esse profectum. Hoc igitur modo intellegere debemus Taurinum Roma reversum Viennae constitisse (ex quo loco obscuro errores quoque derivati sunt [v. comm. 38.]): Taurinus Roma rediens (ab eo tempore, quo Roma reversus est) tunc primum (circa mensem Maium) Viennae fuit. — De hoc convivio Taurinus in epistola ad Vadianum die 28. mensis Octobris a. 1514. scripta mentionem facit, cum scribit se cum Vadiano Viennae *Socratice* egisse (Arbenz, t. 24., p. 128.).

[38] Ex duobus libris in commentario nostro (37.) memoratis de Agricola Strigonium pervenienti certiores facti sumus (Arbenz, t. 24., p. 254.; Abel—

Hegedüs, p. 475.). — Fógel (1911.) falso scribit Agricolam Taurino iam annis praetentis Viennae, cum Taurinus Roma reversus viam suam per Vindobonam faceret, artissimo amicitiae vinculo coniunctum esse (Taurinus eodem anno, quo Viennae fuit, cum Agricola Strigonii congressus est, cum nec anni praeteriti dicendi sunt), idem Fógel duobus annis post (1913.) iam Taurinum cum Agricola in aula cardinalis congressum esse scribit. — Fieri potest, ut amicitia inter eos tunc incepta sit, cum Taurinus scholaris Viennae fuerit.

[39] Cum epistola Agricolae, de qua in quodam coaetaneo (1515.) libro excusa nos in comm. 37. locuti sumus et quae de Taurino nullam mentionem facit et quae (Denis, p. 121.) die 25. mensis Augusti a. 1514. Strigonio data est (et ad quam Vadianus die 16. mensis Octobris a. 1514. respondit), Viennam ad Vadianum missa est, certe tabellarius dixit Vadiano Taurinum esse profecturum, Vadianus enim in epistola responsoria rogat Agricolam, ut Taurinum, si adhuc Istrograni apud cardinalem degat, suo nomine impense salutet (Denis, p. 122.; Arbenz, t. 24., p. 256.; Ábel—Hegedüs, p. 475.). — Ex qua epistola Vadiani coniectura fieri potest Taurinum ineunte mense Septembri iam Olomuntium esse profectum.

[40] Nos credimus Taurinum Olomuntio Nissam esse profectum et non Olomuntio in Hungariam et ex Hungaria Nissam. — Ceterum Márki (1889., p. 210.), quem Horváth (p. 202.) quoque sequitur, Taurinum a. 1515. Nissae moratum arbitratur, quod falsum esse credimus, nam Taurinus in Dedicatione Stauromachiae (1.) de bello rustico nuper finito et non de bello circa ante annum finito loquitur, cum scribit marchionem bello cruciferorum angi. Marchio post annum iam de causis belli et de damnis a rusticis sibi illatis certo certos nuntios accipere potuit; primos certos nuntios tunc a Taurino accepisse videtur. — Ceterum Taurinus Kal. Ian. a. 1519. scribit se superioribus annis Nissae esse moratum (Ded., 1.).

[41] Taurinus in epistola Strigonio die 28. m. Oct. 1514. missa scribit Vadiano (Arbenz, t. 24., p. 128.) se epistolium e nativo Olomuntio ad eum (Vadianum) dedisse, quando ad incunabula sua animi gratia n u p e r concessisset.

[42] Iohannes episcopus enim stimulabat Taurinum, ut tam initium, quam exitum conscriberet (Ded., 3.).

[43] Dedicatio, 3.: ... dominatio sua reverendissima ... stimulabat, ut ... tam initium, quam exitum ... conscriberem ... (Márki [1889., p. 211.] verisimile esse credebat Taurinum iam Nissae hexametros Stauromachiae composuisse, quod nos ne verisimile quidem esse arbitramur, quia Taurinus ibi tantum aliquot dies eosque occupatissimos moratus esse videatur).

[44] Agricola in epistola quadam scribit ad Vadianum se propediem Viennam profecturum et a Taurino litteras secum Vadiano esse portaturum (Arbenz, t. 27., p. 148.). Quia epistolam Taurini die 28. mensis Octobris a. 1514. Vadiano scriptam Agricola portavit Viennam (Arbenz, t. 24. p. 129.), recte arbitratus est Arbenz hanc epistolam Agricolae mense Octobri a. 1514. esse scriptam. Quod et nos verum esse putamus: Taurinus circa medium mensem Octobrem, cum Agricola epistolam scripsit, Olomuntio et Nissa iam Strigonium reversus erat. Hac igitur occasione Taurinus Vadiano epistolam non misit. — Ceterum in epistola Agricolae de bello rustico quoque mentio fit.

[45] Taurinus die 28. mensis Octobris a. 1514. scribit ad Vadianum Iohannem Nissenum mathematicum non longo ante tempore in reverendissimi domini sui (sc. Thomae Bakócz archiepiscopi) aulicorum numerum adscitum esse (Arbenz, t. 24., p. 128.). Non igitur certum est, tantum credimus Borgbirium una cum Taurino Nissa Strigonium pervenisse.

[46] Arbenz, t. 24., p. 129 ; tota epistola in pp. 128—30.

[47] Epistola eius ad Vadianum scripta 28. Octobris 1514. *Strigonii* data est (Arbenz, t. 24., p. 129.).

[48] Obrowitz in charta geographica a nobis inveniri non potuit.

[49] Engel, p. XII. (epistola Petri Cerronii ad Iohannem Engel; v. comm. 15.).

[50] Vadianus mense Octobri a. 1514. eum canonicum non memorat (v. comm. 37.).

[51] Dedicatio, 6.

[52] Taurinus in Dedicatione (8.) Stauromachiae scribit se Strigonii eam paene ad umbilicum perduxisse.

[53] Sive Megerechensis s. Mezerzius (apud Taurinum: Ind. Abcd., 129.),

Hung.: Megyericsei. — V. profusius: Ábel, Eugen, Johannes Mezerzius, der Begründer der dacischen Epigraphik, in periodico: Ungarische Revue, Budapest, t. 3. (1883.), pp. 373—83. et Barabás, Miklós (Nicolaus), Megyericsei János kolozsi főesperes (De Iohanne Megerechensi archidiacono Colosiensi), in periodico: Erdélyi Múzeum (Museum Transilvanense), t. 24. (nova series, t. 2.), 1907., Kolozsvár, pp. 111—31. et Temesváry, János (Iohannes), Pótlék Megyericsei János életrajzához (Addendum ad vitam Iohannis de Megereche), ibidem, p. 399., praeterea: Zamosius, Hanerus, Pray, Mommsen et Apponyi (Hung. p. 370., Germ. p. 378.) et Temesváry (comm. 58.) et Buday (1909., 1914.) et Horváth (index et p. 291.). — Megerechensis (una cum Ladislao Gereb s. [Hungarice] Geréb [Ind. Abcd, 9.]) primus inscriptiones Romanas in Dacia Romana (Transilvania) quaesivit, repperit et describens collegit. Inscriptiones a Taurino editas maximam partem a Megerechensi ei traditas credimus (Buday, 1914., p. 12., comm. 25., v. praeterea inferius, ubi de Stauromachia loquimur, et comm. 101.). Fieri potest, ut Taurinus inscriptiones omnes a Megerechensi collectas sibi descripserit.

[54] Taurinus in epistola 28. Oct. 1514. ad Vadianum missa scribit se Iohannem Viennam propediem repetiturum credere, qua iam pridem venerat, sc. ubi iam pridem fuerat (Arbenz, t. 24., p. 129.).

[55] Denis, pp. 320—21.; Engel, p. XIII., Ballagi. — Opus Borgbirii certe a. 1516. editum est. — Borgbirius Taurinum necessitudinarium et coaulicum, iurisconsultum et philosophum non usquequaque contemnendum, hominum, qui vivant, omnium et festivissimum et facetissimum esse dicit (Denis, p. 320.).

[56] Arbenz, t. 24., pp. 174—75.

[57] Arbenz, t. 24., pp. 118. et 128.

[58] Temesváry, János (Iohannes), Újabb pótlékok Megyericsei János életrajzához (Addenda recentiora ad biographiam Iohannis de Megyericse [de Megereche, Megerechensis]), addendum 1., in periodico: Erdélyi Múzeum (Museum Transilvanense), Kolozsvár, t. 26. (novae seriei t. 4.), 1909., p. 309. — In quodam missali Iohannis de Megyericse nunc Strigonii in bibliotheca archiepiscopali asservato (sign.: L. II. 3.) coaeva manu inscriptum est, quando Iohannes mortuus esset. Quia hoc missale nunc Strigonii est, certe credere possumus Iohannem ibi esse mortuum; quia autem Iohannes secretarius regis plerumque Budae moratus est, fortasse Budae obiit.

[59] Taurinus in dedicatione (6.) Stauromachiae Kalendis Ianuariis a. 1519. data scribit se *nuper* Strigonii fuisse, sub quo vocabulo *nuper* hic circa plus quam sesquiannus intellegendus est.

[60] Dedicatio, 9.

[61] Dedicatio, 8. (protomystes: archidiaconus). Iurisconsultus: ibidem, 10. (Taurinus iuris utriusque doctor fuit). (V. comm. 31., 37., 55. et 75.)

[62] Dedicatio, 8.

[63] Ernuszt, pp. 34—35. — Wolphardus, qui a. 1491. natus est, Viennae a. 1510. baccalaureus, a. 1511., magister artium (Ernuszt, pp. 5., 7.). (V. comm. 4., 17., et 25.); ab a. 1516. canonicus Albae Iuliae (Ernuszt, p. 36.). — In epistola Adriani ad Vadianum die 13. mensis Augusti a. 1518. Alba Iulia missa de Taurino quoque mentio fit (Arbenz, t. 25., p. 199.).

[64] V. comm. 17.

[65] Ernuszt, p. 39.

[66] Dedicatio, 11. — De quo vide in Staur. 1., 227—28. quoque.

[67] Scribit enim se diutina valetudine adversa esse invasum (Ded., 11.).

[68] Dedicatio, 10—13. et 29.

[69] Staur. 1. 213—26., 256—58.; 5. 478—86. (Ludovicus nempe, antequam rex factus esset, rex iuvenis s. iunior [1508—16.] fuit.) — Taurinus in Indice Abcdario iam de Ludovico rege loquitur: 28., 90., 105., nihilominus in Dedicatione Kalendis Ianuariis a. 1519. scripta: in titulo et 28.

[70] Dolendum est valde, quod carmen epicum Wolphardi ad nostram aetatem non remansit, qui certo nos meliore et magis historico quoque opere donavit.

[71] In epistola ad Vadianum die 8 mensis Octobris a. 1517. Alba Iulia missa (Arbenz, t. 24., p. 197.) Wolphardus scribit se libellum de cruciferorum tumultibus bellisque Vadiano limae esse commissurum. (V. Ernuszt, p. 38. et comm. 2. et 4.; Teleki Samuel comes, Iani Pannonii opusculorum pars altera, Traiectum ad Rhenum, 1784., p. 276.).

[72] Epilogus. 3.: Saturnalibus ... vel stultorum feriis, id est: carnival, carnaval, carnevale s. carnavale, Fasching, farsang, ante Diem cinerum (a. 1519.: die 9. mensis Martii). — V. Karl Ernst Georges, Ausführliches deutsch-lateinisches Handwörterbuch, ed. 7., Leipzig, t. 1. (1882), col. 770.: Carneval: Saturnalia, quibus personati discurrunt homines.

[73] Franciscus Siculus Transilvanus Viennae a. 1519. baccalaureus artium factus est (Frankl, 1873, p. 216.; Schrauf, p. 87.).

[74] Annus 1519. in libro non invenitur, certo autem eo anno impressus est; si enim posterius — post mortem Taurini — excusus esset, certe de mortuo poeta quoque mentio facta esset. Liber igitur impressus est, quin editores de mortuo Taurino certiores facti essent.

[75] Matricula magistrorum artium universitatis Viennensis a. 1507. (v. comm. 19.): Mag. Stephanus de Olmocz; supra Stephanum autem secunda manus — fortasse Udalricus Fabri Rhetus vel Franciscus Siculus Transilvanus (v comm. 73.), qui Stauromachia excusa litterarum commercium cum Taurino habuerunt et certum nuntium fortasse ab Adriano Wolphardo vel Christanno Borbandino vel quodam amico Albae Iuliae vel in Transilvania de morte eius accipere potuerunt — inscripsit *Taurinus* et margini ascripsit: Hic erat vir egregius canonicus archidiaconusque ac vicarius Albe Iulie, arcium ac iuris utriusque doctor, quo vivente mag. Christannus Borbandinus de Enyedino ibidem regimen scole subibat, obiit Cibinii in vigilia pentecostes anno Domini 1519. (Frankl. 1873., p. 214. et comm. 1.; Schrauf. p. 49. et comm. 1. — archediaconusque Frankl; artium Frankl; quo—subibat omittit Frankl). — Borbandinus a. 1515. scholaris, a. 1516. baccalaureus artium, a. 1517. magister artium Viennae factus est (Frankl. 1883., pp. 224., 216., 214; Schraut, pp. 171., 86. et 52.). — Fieri magnopere potest, ut Borbandinus noster scholares Viennenses de morte Taurini certiores fecerit simulque scripserit se Albae Iuliae (ibidem) Taurino vivente, qui tunc mortuus est, certe, postquam magister artium a. 1517. factus est, rectorem scholae factum esse.

[76] In epistola ad Vadianum die 28. mensis Aprilis a. 1514. scripta (Arbenz, t. 24., p. 118.) haec legimus: Rescribe, rescribe, aber ich wyll dier auff ungerisch schreiben Harum palczatt (hodie: három pálcát: tres scipiones, tres virgas. — Si igitur Vadianus Taurino non rescribet, eum ter virga feriet — scribit Taurinus Vadiano per iocum). — Etymologia vocabuli Bornemyssa: Ind. Abcd., 28.

[77] Opera alia quoque Taurini ad nostram aetatem remansa in hac Bibliotheca quamprimum, cum fieri potest, edemus.

[78] Denis, p. 52. — Quae elegia in editione L. Flori Librorum Historiarum quattuor a Cuspiniano edita in lucem prodiit. Elegia dialogica est inter lectorem et librum.

[79] Arbenz, t. 24., p. 129. — Versum Graecum Taurinus in Latinum convertit, cum in Italia moraretur.

[80] Arbenz, t. 24., p. 118.

[81] Ep. l. 3. ep. 26.

[82] Arbenz, t. 24., pp. 129—30. — Epigramma satyricum (ex sex distichis contans) in quendam canonicum compositum est.

[83] Arbenz, t. 24., pp. 128—30. — Epistolam Rudolphus Agricola Viennam secum portavit.

[84] Denis, p. 320.; Ballagi, p. 127. — Quod Phalaecium in libro Borgbirii (v. comm. 55.) in laudem eiusdem compositum est. — In epistola Taurini quadam ad Vadianum die 11. mensis Decembris scripta haec leguntur: Proinde, cum tu sis necessitudine vetere mihi iunctus, non potui quorundam temeritatem seu sanguineam quandam crudelitatem, quas Taurinomastygae (sic pro Taurinomastigae) illi versiculis meis hendecasyllabis intulerint, tibi non facere copiam. Ita enim versiculos illos meos inverterant, ita adulteraverant, sic depravarant, ut eos, quamvis proprii faetus erant, prima fronte meos esse non cognoscerem. Nihilominus tamen eorum audacula facinora literatorie castigavi, quemadmodum tu ex epistola mea cognosces, cum tibi copias ostendet Aegidius meus, praesentium tabellarius ... Commendo insuper tuae magnificentiae invidos illos et honoris mei Zoilos, quatenus illis verbalem tuam correptionem impertias, ut eos partim scelerum suorum, partim etiam audaciae, temeritatis atque ineptiarum paeniteat (Arbenz, t. 24., p. 174.). — Ex his verbis Taurini certiores facti sumus quosdam hencedasylla-

bos Taurini esse correctos et hoc modo editos. Certo credimus hos hendecasyllabos non esse alios, quam in libro Borgbirii Viennae editos.

[85] Arbenz, t. 24., pp. 73—75. — Epistolam Aegidus Moravus Viennam secum portavit. (Cf. comm. 84.)

[86] V. comm. 19., 21. [87] V. comm. 41.

[88] Quae epistola (una cum epistola III.) missa est Viennam, in qua epistola haec leguntur: ... Nihilominus tamen eorum audacula facinora literatorie castigavi, quemadmodum tu ex epistola mea cognosces, cum tibi *copias* ostendet Aegidius meus, praesentium tabellarius .. (v. comm. 84.).

II. — De Stauromachia.[89]

Hoc carmen epicum, cuius tituli in editione principali in pagina tituli *Stauromachia, id est Cruciatorum Servile Bellum,* ante librum I. autem *Servilis Belli Pannonici* lib. I. sunt, Taurinus exeunte anno 1514., quo bellum quoque finitum est, componere aggressus est et quamvis multis in aula archiepiscopi obsequiis impeditus totum circa mensem Aprilem a. 1517. iam paene ad finem — lima quoque excepta — perduxit, cum Albam Iuliam proficiscitur, ubi novem menses propter negotia opus limare non potuit, diu deinde aegrotatus et postea sanus factus exeunte anno 1518. tandem carmini ultimam manum imposuit, cui Kalendis Ianuariis a. 1519. dedicationem ad Georgium marchionem Brandenburgensem scriptam praeposuit. Singulos libros poematis numeris[90] et Marginalibus[91] instruxit. Mensibus Ianuario et Februario anni eiusdem 1519. Indicem Abcdarium composuit et Epilogum die 6. mensis Martii a. 1519. scriptum ad calcem libri posuit. Deinde totum manuscriptum Viennam ad Udalricum Fabri Rhetum et Franciscum Siculum Transilvanum misit, qui more aetatis suae suis carminibus adiunctis certo eodem anno imprimendum curaverunt. Fieri potest, ut ipse Taurinus rogaverit Udalricum et Franciscum, ut librum imagine ligno incisa, quae cruciatum Georgii Zeglii illustraret, ornarent.[92] Taurinus propter longinquitatem opus corrigere non potuit, qua de causa complura menda typographica libro irrepserunt. Quia Taurinus die 11. mensis Iunii a. 1519. Cibinii in Transilvania mortuus est, opus excusum videre iam non potuit.

De pretio carminis epici poetico nihil laudabile dici potest. Nec ipse Taurinus magni aestimavit, cum Stauromachiam suam nugas dicit.[93] Nec Georgius Dósa, nec Thomas cardinalis primas partes agunt, sicut nec Batrachomyomachia Homeri personam primam habet. Totum carmen — sicut Taurinus fatetur[94] — maximam partem e sententiis et versibus poetarum et scriptorum anti-

[89] Stauromachia, sicut Iohannes Capnio (Reuchlin) tunc — secundum pronuntiationem Graecorum tunc (et nunc) viventium — didicit, re vera Stavromachia pronuntianda est, quod vocabulum Taurinus ad analogiam Batrachomyomachiae finxit: σταυρός· crux, μάχη· pugna. Cf. Ind. Abcd., 112.: Stauromachia Graecis, Latinis crucis pugna dici potest. (V. comm. 95. et 96.)

[90] V. inferius editionem principalem.

[91] V. inferius editionem principem. Marginalia nos separatim edidimus. Quae Marginalia certo ab ipso Taurino margini Stauromachiae ascripta sunt, cuius documento vide marginalia in libro I. ad versus 211., 230., 237., 239., 242., 248. et alios scripta.

[92] V. inferius editionem principalem. [93] Ded., 5.

[94] Ded., 20., 22. — Császár fontes Taurinianos accuratissime composuit.

qui et humanistici aevorum ut imago musiva (mosaic, mosaïque, mosaico, Mosaik, mozaik) compositum est, cuius, ut ita dicam, ossa sunt Batrachomyomachia[95] Homeri ab Ioanne Capnione (Reuchlin) in Latinum versa et a Vadiano a. 1510. Viennae edita.[96] Hexametri Taurini quandoque claudicant et licentia poetica antiquis scriptoribus non concessa saepe utitur.[97] Immo Taurinus nonnunquam obscurus quoque dici potest, cui quid lucis plerumque fontes Taurini a nobis agniti afferunt. Verum totum opus ad lucernam compositum oleum olet, sicut et ipse poeta confitetur.[98]

Non igitur pretium poeticum poematis, sed historicum a nobis aliquanti aestimandum est. Taurinus ipse scribit se decorum historiae servare studuisse contendisseque.[99] Ille enim tempore belli rustici Budae et Strigonii moratus et legatus archiepiscopi quasdam Hungariae partes peragrans permulta indicia documentaque, quorum vestigia in eius poemate quoque inveniri possunt, ad hoc tempus cognoscendum et vidit et collegit ita, ut carmen epicum fons belli rustici habendus sit.[100] Si Taurinus rerum scriptor fuisset, certe valde eximium opus — fontem primigenium — composuisset. — Magni praeterea a nobis aestimandae sunt inscriptiones Romanae in Transilvania (in Dacia Romana) partim a Iohanne Megerechensi, partim a Taurino repertae et indici Abcdario insertae,[101] quarum editio princeps tunc primum in lucem prodiit. Quia Taurinus certo non solum inscriptiones in Indice editas, sed alias quoque repperit, collegit et descripsit, iure ac merito inter primos, qui huic operae se tradiderunt studueruntque, numerandus est.

Ceterum permultas partes in Hungaricum in versibus originalibus convertit Márki (librum II. totum interpretatus est).[102]

III. — Editiones.

Manuscriptum, sicut paene omnia manuscripta librorum eo tempore editorum deleta sunt, nec Stauromachiae iam habemus. Ad nostram aetatem remansit editio princeps (s), de qua editio altera (e) et partes selectae quoque editae sunt.

---

[95] Császár Batrachomyomachiam fontem Taurini ignoravit.

[96] Bartholomeus Frankfordinus Pannonius, Opera quae supersunt (ed. Anna Vargha in hac Bibliotheca, 1945.), pp. III. et comm. 10. (p. IV.) et p. VIII. et comm.*. — In pp. 18—23. edita est Batrachomyomachia a Iohanne Capnione traducta, quam Bartholomeus a. 1516. ex editione Vadiani iterum in lucem edidit. Taurinus certo editione Vadiani usus est, cum iam a. 1514. exeunte Stauromachiam componere aggressus est.

[97] Exempli gratia: IV. 51., 59., 150. (heptameter), 418.; V. 444.

[98] Dedicatio, 7. [99] Dedicatio, 25.

[100] V. opera Alexandri Márki de Georgio Dósa scripta (1883., 1913.). — Iosephus Eötvös in fabula Romanensi: Magyarország 1514-ben. (De Hungaria a. 1514.) (in 3 tomis, 1847.) opere Taurini usus est.

[101] Et quidem decem inscriptiones (v. Bibliographiam: Mommsen). (Cf. comm. 53.) — Scaliger ex editione Taurini has inscriptiones cognovit et per Scaligerum omnino cognitae factae sunt (Buday, 1914., p. 12.) — Zamosius (Szamosközi) de inscriptionibus Taurinianis audivit (Apponyi) et post Zamosium erronee scribit Hanerus Taurinum de lapidibus etiam Dacicis librum in Austria emisisse esse dictum.

[102] Márki, 1889. — Idem, 1913., passim.

a) Editio princeps.

s[103] — [1519.],[104] Vienna. — Tit.: A_{1}r.: Stephani Taurini Olomucen. Stauromachia, id est Cruciatorum Servile Bellum. Quod anno ab orbe redempto post sesqui millesimum quartodecimo et Pannoniam et collimitaneas provincias valde miserabiliter depopulaverat. In quinque libros summatim digestum. Eiusdem index eorum, quae in hoc opere visa sunt annotatu digniora. Infra hunc titulum impressa est imago ligno incisa cruciatum Georgii Dósa illustrans, cuius subscriptio est: Georgius Zekel.[105] — A_{1}v.: Imago ligno incisa: Maria Virgo cum Iesu infantulo. — A_{2}r—$_{3}$v.: Dedicatio. — A_{4}r.: Errata.[106] — A_{4}v.: Haec duo carmina:

Udalricus Fabri Rhetus
Lectorem alloquitur, an hos legat libros, addubitantem.[107]

Heus bone, quid frontem veluti iam percitus ira
Contrahis adversam? Nil, mihi crede, nocet.
Nil, mihi crede, subest sceleris, nil criminis usquam
Invidiae, lector, pellege, certus eris.
5 Non minor est nostro vates Taurinus in aevo,
Quam qui rupta canit Pergama, rura, capras.
Quin magis instituit vitam probitate fidemque
Canam demonstrat dogmate nempe sacro.
Crimina nobilium quae sunt plebisque profanae
10 Carpit nunc turbas, aeris et inde sitim
Nec verum tacuit, belli quae causa nefandi
Extiterit, lector, prendere rite potes.

Francisci Siculi Transilvani
Hexastichon.[108]

Diruta Maeonio quantum vel Pergama vati
Debent vel rapidis vectus Ulisses aquis,
Quantum Roma suo debet victura Maroni
Et pius Aeneas, durus et agricola,
5 Taurino debet tantundem regna poetae,
Quae gaudent titulis, rex Lodovice, tuis.

— Deinde folia (r. et v.) numeris Romanis quoque numerata sequuntur: I(r.)—XXXVIII(r.) [B_{1}r—I_{6}r.]: Stauromachia. Titulus libri I.: Servilis belli Pannonici lib. I. Supra paginas in folio verso: Servilis belli Pannonici, in recto: Liber I., Liber II., Liber III., Liber IIII., Liber V. scripti sunt. Versus singulorum librorum certo a Taurino decimatim numerati sunt,[109] pro numeris autem 110, 120, 130 ., 210 ., 310 tantum numeri 10, 20, 30 .

[103] Editionem describit Denis (pp. 329—30.) et Apponyi (Hung. n. 137. [p. 109.]. Germ. n. 137. [p. 110.]).

[104] Annus 1519., quo liber editus sit, in libro non impressus est, certo autem scimus Stauromachiam eodem anno esse excusam, quo a Taurino Viennam esset missam (v. comm. 74.).

[105] Quam imaginem transcriptam v. Engel, p. 2. innum., de qua in minore forma iterum (tertium) impressit Márki, 1913., p. 479.

[106] In libro I. 254., 274., 283., 285., 534., II. 24., IV. 335., V. 85., 194., 299., quae errata nos in Annotationibus Criticis quoque assumpsimus.

[107] Annotationes Criticae: *tit.* libros legat e - 11. caussa e - nefand (mendum typographicum) e - 12. praehendere s, prehendere e

[108] Annotationes Criticae: *tit.* Fran. s, Franc. e - Transil. s, Transilv. e - exasticon *(sic)* se - 1. Dirruta se - 2. Ulysses e - 4. Eneas se

[109] Ideo versus numerati sunt (et folia quoque numeris Romanis similiter instructa), ut loci in Indice Abcdario facilius citarentur laudarenturque (cf. exempli gratia Ind. Abcd., 3.: Lib. 1. vers. 82., ubi in editione principali (v.

10 . 10 . . ., et pro 200, 300, 400 . . . numeri 100, 100, 100 . . . additi sunt. — Fol. XXXVIIIr. [I6r.] post versum ultimum libri V. Stauromachiae: Tempus hominibus coticula. — Fol. XXXVIIIv. [I6v.] vacuum. — K1r—L6r.: Index Abcdarius (10 folia). — L6r. infra: Impressum Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium.[110] — L6v.: Epilogus, cuius titulus: Stephanus Taurinus Olomucensis etc. Optimae Literariae Iuventuti. S. D. — Forma libri: in quarto. — Exemplaria editionis satis rara sunt.[111]

b) Editio altera.

e — 1809., Vienna. — Monumenta Ungrica. Edidit Joh. Christianus Engel. Viennae. Sumtibus Antonii Doll bibliopolae. 1809. — Dedicatio: pp. 113—18. — Carmen Udalrici Fabri Rheti: pp. 118—19. — Carmen Francisci Siculi Transilvani: p. 119. — Stauromachia una cum marginalibus infra paginam — numeris commentarii adhibitis — positis: pp. 119—84. — Index Abcdarius: pp. 447—71.[112] — Epilogus: pp. 471—72. — Errata editionis Io. Engel: pp. 478—79.

c) Editio particularis.

1903., Budapest. — Analecta nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Jussu Academiae Scientiae Hungaricae ex scriptis ab Eugenio Ábel relictis cum commentariis edidit partimque auxit Stephanus Hegedüs. Budapestini, typis Victoris Hornyánszky. 1903. — Ex editione s hae partes editae sunt: Dedicatio 1—14., relictis quibusdam partibus sententiarum 4. et 14., 28—29. (pp. 445—47.). — Carmen Francisci Siculi Transilvani (p. 447.). — E libro I. Stauromachiae sine marginalibus 181—98. (pp. 447—48.), 237—38. et prior pars sententiae 239. (p. 448.), 242—49. (p. 448.), 261—73. (pp. 448—49.), e libro V.

Annotationes Criticas) chart. 2. ver. 82. invenitur Versus igitur certo Taurinus numeravit, in Indice Abcdario autem editores Udalricus Fabri Rhetus et Franciscus Siculus Transilvanus numeros foliorum locorum citatorum mutaverunt correxeruntque. — In duobus autem libris numeratio mendosa est usque ad finem utriusque libri: in libro I. versui 489. numerus (4)90 et in libro III. versui 149. numerus (1)50 sunt additi. Qui error ita evenire potuit, ut vel Taurinus vel editores Viennenses (Udalricus et Franciscus) post numerationem a Taurino factam singulos versus, etquidem in libro I. intra versus 481. et 489. et in libro III. intra versus 141. et 149. eiecerint, numerationem autem usque ad finem libri mutare neglexerint. — E libro V. quendam versum vel Taurinus vel Udalricus et Franciscus eiecerunt, numerationem autem mutaverunt, in libro enim V. nunc 499 versus sunt, ubi Taurinus certo 500 versus composuit. Si versus tunc eiectus est a Taurino, cum iam Indicem Abcdarium composuerat, correxit numeros in Indice Abcdario; idem Udalricus et Franciscus fecerunt in Indice Abcdario, si ii quendam versum e libro V. eiecerint. — Scire debemus in libro I. eundem versum bis (221. et 258.) provenire; fieri igitur potest, ut et ex libris I., III. et V. hoc modo singuli versus eiecti sint.

[110] Quo igitur anno liber excusus sit, non elucet. (V. comm. 74. et 104.)

[111] In Bibliotheca Széchenyiana (Budapest, in Museo Nationali Hungarico), P. O. Lat. 835. c. — In Bibliotheca Apponyiana (Budapest, in Museo Nationali Hungarico), no. 137. — Duo exemplaria memorat Denis (p. 331.) in Bibliothecis Windhagiana et Prayana servata. — Item duo exemplaria memorat Engel (pp. XIII. comm. c et 113. comm. a) in bibliothecis Caesarea Vindobonensi Palatina (nunc Nationali), quod in fine mancum est, et Academiae Caesareae Regiae Equestris Theresianae (Viennae) custodita.

[112] Engel ideo Indicem Abcdarium in fine edidit, quia primum exemplari manco usus est (v. comm. 111.), deinde non manco (p. XIII., comm. c).

1—9. (p. 449.). Ex Indice Abcdario: 9. partibus priore et posteriore relictis, 129. parte in fine relicta (quod—clarius) (p. 449.). — Ex Epilogo: 3—4. nonnullis vocabulis in media sententiae parte relictis, 6. Valeto—MDXIX. (pp. 449—50.). — Hanc editionem particularem conferri necessarium esse non putavimus.

IV. — De nostri textus condendi ratione.

Nos — haec enim norma in scriptoribus recentioribus edendis adhibenda est — coniecturis, quantum fieri potuit, abstinuimus et praecipue tantum eos locos sanandos esse voluimus putavimusque, qui inscitiae typographorum tribuendi sint, scire enim debemus Taurinum correcturam typographicam propter longinquitatem locorum (Vienna—Alba Iulia vel Cibinium in Transilvania) perficere non potuisse.

Quod ad scripturam Taurinianam attinet, vocabula, quae eo tempore quoque parum usitata fuerunt vel in quibus et ipse Taurinus (vel fortasse typographus) vacil abat, plerumque ad scripturam antiqui aevi revocavimus. Quomodo textus ad scripturam attinens a nobis tractatus est, in collectis, quae Scriptura inscribitur, inferius invenies.

Marginalia Taurini[113], quae in editione principali marginibus apposita sunt, non marginibus apposuimus, sed separatim colligentes et conscribentes statim post carmen epicum edidimus.

V. — Bibliographia.[114]

Nec in opere bibliographico Caroli (Károly) Szabó et Árpád Hellebrant: Régi magyar könyvtár (Bibliotheca Hungarica vetus), t. III., partes 1—2., Budapest, 1896—98., nec in lexicis universalibus: A Pallas nagy lexikona (Lexicon magnum Palladis), tt. 1—18., Budapest, 1893—1900., et Révai nagy lexikona (Lexicon magnum Révaianum), tt. 1—21., Budapest 1911—35., nec in lexicis litteraturalibus: Ferenc (Franciscus) Ványi Magyar irodalmi lexicon (Lexicon litteraturae Hungaricae), Budapest, (1926), et Lajos (Ludovicus) Dézsi: Világirodalmi lexicon (Lexicon litteraturae mundi), tt. 1—3., Budapest, (1930—33.) de opere Taurini et de Taurino mentio fit.

Zamosius (Szamosközi), Stephanus, Analecta lapidum vetustorum et nonnullarum in Dacia antiquitatum. Patavium, 1593., praefatio; editio 2.: Frankfurti, 1598., praefatio. — [Citamus secundum Hanerum et Apponyi, no. 537. (pp. 369—70. Hung., pp. 377—78. Germ.) et Buday, 1914., p. 15., comm. 34., quo numero mendum typographicum inest, et Bartoniek, no. 837. (p. 46.).]

Belius, Matthias, Adparatus ad historiam Hungariae sive collectio miscellanea monumentorum ineditorum partim, partim editorum, sed fugientium, t. 1., Pozsony, 1735., p. 282., comm. c.

Hanerus, Georgius Ieremias, De scriptoribus rerum Hungaricarum et Transilvanicarum scriptisque eorundem antiquioribus ordine chronologico digestis adversaria. Vienna, 1774., p. 109. — [Hanerus erronee dicit Taurinum a Belio Moravum Olomucensem esse nominatum. Apud Belium Taurinus non memoratur Moravus. — Hanerus secundum Zamosium iam haec dicit: (Taurinus) de lapidibus Dacicis librum in Austria emisisse dicitur. V. superius, ubi de Stauromachia loquimur.]

Pray, Georgius, Index librorum rariorum Bibliothecae Regiae Universitatis Hungaricae, t. II., Buda, 1781., p. 386. [Citamus secundum Engel, p. XIII. et comm. b.]

---

[113] V. comm. 91.

[114] Errores minores scriptorum in hac Bibliographia memoratorum evidentes post singulos libros in parenthesibus [ ] correximus et non in commentariis, ne eos oneraremus.

Denis, Michael, Wiens Buchdruckergeschicht bis M.D.LX. Wien, 1782., pp. 52., 122., 320., 329.

Wallaszky, Paullus (sic), Conspectus reipublicae litterariae in Hungaria ab initio regni ad nostra usque tempora delineatus a Paullo Wallaszky. Ed. 1., Posonium et Lipsia, 1785., p. 128.; ed. 2., Buda, 1808., pp. 167—68. — [In ambabus editionibus in textu Taurunus memoratur (in commentario autem Taurinus).]

Engel, Iohannes Christianus, Monumenta Ungrica. Vienna, 1809., pp. XI—XIV. (de Taurino et Stauromachia eius), pp. 111—84., 445—72. (editio s iterum edita), pp. 478—79. (errores typi in hoc libro commissi). (V. superius editionem e.)

Kemény, József, Erdélyi költők a XVI. század második tizedében (Poetae Transilvani secundo decennio saeculi XVI.). In periodico Új Magyar Muzeum (Museum Hungaricum Novum), t. 7. pars 1., Pest, 1857., pp. 419—20. — Idem in libro: Történelmi és irodalmi kalászatok (Spicilegium historicum et litterarium), in serie: Történelmi és irodalmi berek (Lucus historicus et litterarius), edit Ferenc (Franciscus) Toldy, t. 2., Pest, 1861., p. 90.

Kemény, József, A Dózsa-pórhad egykorú emléke (Monumenta coaeva litteralia de bello rustico Georgii Dózsa). In periodico Új Magyar Muzeum (Museum Hungaricum Novum), t. 7., pars 1., Pest, 1857., pp. 449 - 50. — Idem in libro: Történelmi és irodalmi kalászatok (Spicilegium historicum et litterarium), in serie: Történelmi és irodalmi berek (Lucus historicus et litterarius), edit Ferenc (Franciscus) Toldy, t. 2., Pest, 1861., pp. 92—93.

Frankl (postea Fraknói), Vilmos (Guilelmus), Adalékok az 1514-dik évi pórlázadás történetéhez (Analecta ad historiam seditionis rusticae a. 1514.). In periodico: Századok (Saecula), t. 6., Budapest, 1872., p. 431. et comm. 1. — [Frankl Taurinum falso episcopum Albae Iuliae, deinde Olomuntii fuisse dicit.]

Frankl, (postae Fraknói), Vilmos (Guilelmus), A hazai és külföldi iskolázás a XVI. században (De scholis Hungariae et exterarum nationum saeculo XVI.). Budapest, 1873., p. 214.

Mommsen, Theodorus, Corpus inscriptionum Latinarum. Vol. 3., pars 1.: Inscriptiones Asiae, provinciarum Europae Graecarum, Illyrici Latinae. Berlin, 1873., p. 153. et numeri 66*. (Index Abcdarius, 51.), 69*. (107.), 70*. (49.), 71*. (40.), 860. (35.), 1070. (10.), 1266. (7.), 1317. (126.), 1443/III. (132.), 1452. (130.).

Márki, Sándor (Alexander), Dósa György és forradalma, (Georgius Dósa et revolutio eius), Budapest, ed. 1., 1883., ed. 2. 1886., passim. — (Duae editiones tantum in paginis tituli inter se differunt.)

Ábel, Eugen, Johannes Mezerzius, der Begründer der dacischen Epigraphik, in periodico: Ungarische Revue, Budapest, t. 3., 1883., pp. 373—83., passim.

Márki, Sándor (Alexander), Dósa első költője (De primo poeta Georgii Dósa). In periodico: Katholikus Szemle (Conspectus Catholicus), t. 3., Budapest, 1889., pp 210—43. — [Márki erronee dicit Taurinum iam a. 1515. canonicum Albae Iuliae et vicarium Francisci de Warda episcopi Transilvani fuisse.]

Fraknói, Vilmos, Erdődi Bakócz Tamás élete (De vita Thomae Bakócz de Erdőd). In serie: Magyar történeti életrajzok (Bibliographiae historicae Hungaricae). Budapest, 1889., pp. 141. comm. 5. et 145. comm.*.

Arbenz, Emil, Die Vadianische Briefsammlung der Stadtbibliothek St. Gallen. In periodico: Mitteilungen zur vaterländische Geschichte. Herausgegeben vom Historischen Verein in St. Gallen, series 3., t. 24., 1891., pp. 118., 128—30., 173—75., 256., 268. (Index); t. 25., 1894., p. 199., 480. (Index); t. 27., 1900., p. 148., 311. (Index); t. 30., Ergänzungsband, 1913., p. 210. (Index). — [Arbenz falso de Taurino ut canonico Olomucensi loquitur.]

Wotke, K., Der Olmützer Bischof Stanislaus Thurzo von Bethlenfalva 1497—1540. und dessen Humanistenkreis. In periodico Zeitschrift des Deutschen Vereins für die Geschichte Mährens und Schlesiens, t. 3., 1899. — [Citamus secundum Iosephum Fógel, 1917., qui in pag. 76. articulum in periodico in pagg. 237—88., in pag. 77. autem mentionem de Taurino in pag. 351. posuit. Error latet.]

Apponyi, Sándor, gróf (Alexander, comes), Hungarica — Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok (Hungarica — De impressis exterarum nationum ad Hungarica attinentibus), t. 1., Budapest, 1900., no. 137. (p. 109.) et

pp. 95., 370. — *Idem* Germanice: *Apponyi*, Graf Alexander, Hungarica — Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften. 1. Band. München, 1903., no. 137. (p. 110.) et pp. 96., 378.

Schrauf, Károly, A bécsi egyetem magyar nemzetének anyakönyve (Matricula nationis Hungaricae in universitate Viennensi), in serie: Magyarországi tanulók külföldön (Studentes ex Hungaria apud exteras nationes), t. 4., Budapest, 1902., pp. LXVIII., 49., 262. et index (p. 419.).

Ábel, Eugenius—*Hegedüs*, Stephanus, Analecta nova ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Budapest, 1903., pp. 445—50., 475. (V. superius inter editiones.)

Tóth-Szabó, Pál (Paulus), Szatmári György primás (1457—1524.) (De primate [archiepiscopo] Georgio de Szatmár), in serie: Magyar történeti életrajzok (Biographiae historicae Hungaricae), redigit Lajos (Ludovicus) Dézsi. Budapest, 1906., p. 168., comm. 127.

Beöthy, Zsolt (inchoavit et ducit), Badics, Ferenc (redigit), A magyar irodalom története (Historia litteraturae Hungaricae), ed. 3., Budapest, 1906., p. 242. Articulus: *Hegedüs*, István, Humanista hagyományok a XVI. században (Traditiones humanisticae saeculo XVI.) — [Erronee scribit Hegedüs Taurinum a. 1518. (pro 1519.) dedicationem scripsisse.]

Szinnyei, József, Magyar írók élete és munkái (De vitis scriptisque scriptorum Hungarorum). Tom. 13., Budapest, 1909., col. 43. (ad vocabulum Stieröxel).

Buday, Árpád, Újabb pótlékok Megyericsei János életrajzához (Addenda recentiora ad biographiam Iohannis de Megyericse [de Megereche, Megerechensis]), addendum 2., in periodico: Erdélyi Múzeum (Muzeum Transilvanense), Kolozsvár, t. 26. (novae seriei t. 4.), 1909., p. 310. et comm. 1.

Fógel, Iosephus, Quomodo rex Wladislaus cancellariaque eius de rebus litterariis meriti sint in Hungaria. Commentarii nonnulli de historia litterarum renascentium in Hungaria. (MCCCCXC—MDXVI.). Budapest, 1911., p. 22.

Fógel, József, II. Ulászló udvartartása (De aula Wladislai II. regis Hungarorum). (1490—1516.). Budapest, 1913., p. 78.

Márki, Sándor (Alexander), Dósa György (Georgius Dósa). In serie: Magyar történeti életrajzok. Budapest, 1913., passim.

Buday, Árpád, Római felirattan (Scientia epigraphicae Romanae). Kolozsvár, 1914., p. 13. et comm. 25.

Fógel, József, II. Lajos udvartartása (De aula Ludovici II. regis Hungarorum). 1516—1526. Budapest, 1917., pp. 73., 77.

Ballagi, Aladár, Buda és Pest a világirodalomban (Buda et Pest in litteratura orbis terrarum). 1473—1711., t. 1. Budapest, 1925., p. 127. (no. 194.).

Bartoniek, Emma, Magyar történeti forráskiadványok (Editiones fontium ad historiam Hungaricam spectantium), in serie: A magyar történettudomány kézikönyve (Enchiridium litterarum historicarum Hungaricarum), Budapest, 1929., t. 1., fasc. 3/b. p. 77. (n. 1342.).

Pintér, Jenő (Eugenius), Magyar irodalomtörténet (Litteratura Hungarica), t. 1. Budapest, 1930., pp. 701., 705.

Klimes, Péter, Bécs és a magyar humanizmus (Vienna et humanismus Hungaricus). In serie: Palaestra Calasantiana — A piaristák doktori értekezései az 1932. évtől (Dissertationes doctorales piaristarum ab a. 1932.), t. 5. Budapest, 1934., passim; v. Indicem.

Horváth, János (Iohannes), Az irodalmi műveltség megoszlása — Magyar humanizmus (De cultura litteraria divisa — Humanismus Hungaricus). Budapest, 1935., passim; v. Indicem, praeterea p. 292. (comm. ad pp. 200—06.) et p. 293. (comm. ad pp. 206—13.). — [Horváth erronee scribit Taurinum iam a. 1515. canonicum Albae Iuliae fuisse (p. 202—03.); errorem ab Alexandro Márki (1889.) mutuavit.]

Császár, Zoltán, A Stauromachia antik és humanista forrásai (De fontibus antiquis et humanisticis Stauromachiae). (Budapest, 1937.)

Hóman, Bálint (Valentinus)—*Szekfű*, Gyula (Iulius), Magyar történet (Historia Hungarica). Budapest, 1939., t. 2., ed. 6., p. 648. (t. 2.: Hóman.)

Ernuszt, Johanna, Adrianus Wolphardus. In serie: Értekezések a magyarországi latinság köréből (Dissertationes de Latinitate Hungarica), t. 1., Budapest, 1939., passim; v. Indicem. (Dissertatio Hungarice scripta una cum extracto Latino.) — [Ernuszt erronee scribit Taurinum a. 1509. et non 1507. magistrum artium esse factum.]

SCRIPTURA.

Abbreviatio: v.: vide

Scriptura Taurini plerumque deviavimus, quod saepe propter inconsequentiam facere cogebamur. Hac in parte eas scripturae formas composuimus, quibus Taurinus usus est, nos autem non accepimus. Formas compositas (equare, adequare) non memoravimus. Variantes lectiones omnes ad scripturam attinentes in Annotationes Criticas assumpsimus (non solum editionis s, sed etiam e).

Apud Taurinum (in editione s) sunt:

a pro e: symathrismos (*pro* symmetrismos)

ae pro e: *sing. abl. V. decl.*: colluviae; *I. pers. pl. fut. imp.*: sequaemur (*pro* sequemur); aedere (*et* edere), Argaeus, Baelides, caedere (*et* cedere), caena, caepisse (*sed* accepisse), Chersonaesos, claerus, compraehendere (*pro* comprendere *[sic in hexam.]*), Craetaeus (*pro* Cretaeus), depraehendere, effaetus, faecisse (*et* fecisse), faecundus (*et* foecundus), faelix (*et* foelix), faetus (*et* foetus -us *[subst.]*), flaetus, Gygantaeus (*pro* Giganteus), Herculaeus (*et* Herculeus), haeros (*et* heros), impraecatio, interpraetari, laetalis, laetum, loquaela, maeta, Paegaseus, (*sed* Pegasides), plaebeius, plebaeus (*et* plebeus), plaebis (*sing. gen. e* plebs), praelum, praemere (*et* premere), praeciosus (*pro* pretiosus), quaemque (*et* quemque), quaeunt, rhaete (*et* rhete *pro* rete), saecurus (*et* securus), Theumaesus, traepidare

ae pro oe: caelestis (*sed* caeles), caelum (*et* coelum), caepisse (*et* cepisse [*e* coepi]), caetus (*et* coetus), Craesus (*et* Cresus), faedare, faedus -eris *(subst.)*, maenia (*et* moenia), Maenis (*et* Moenis *et* Menis), paena (*et* poena *et* pena), praeliare (*et* proeliare), praelium (*et* proelium)

e pro oe: amenus, cepisse (*et* caepisse [*e* coepi]), comedia, Cresus (*et* Craesus), hodeporicon, homeos *(ex* ὅμοιος*)*, Menis (*et* Moenis *et* Maenis), pena *(et* poena *et* paena), prosopopeia, somatopeiacus

e pro ae: *sing. gen., dat. et pl. nom. I. decl.* (affixe, cathedre, crutiate [*pro* cruciatae], domine, Europe, fosse, Gebenne, Hercynie, Hussite, Moesie, Nerve, pugne, serenissime, S lesite), aequevus, Bethys (*pro* Baetis), cedes (*et* caedes), cespes, ceteri (*et* caeteri), dieta, Creteus (*pro* Cretaeus), Ennogiseus *([sic] pro* Ennosigaeus), edificium, eger (*pro* aeger), Eneas, equare (*et* aequare), equoreus, estas, estivus, estus, ether (*et* aether), ethereus (*et* aethereus), Ethiopes (*pro* Aethiopes), Ethna (*pro* Aetna), Erithreus (*et* Erithraeus *pro* Erythraeus), eudemon, Grecanicus, Greculus, Grecus (*et* Graecus), grandevus, hec (*et* haec), Hebrei (*pro* Hebraei), Ideus, Lacedemon (*pro* Lacedaemon), Lestrigonius (*pro* Laestrygonius), levus (*et* laevus), Megera (*et* Megaera *et* Megoera *pro* Megaera), pene, penula, Peonia, palestra, palestricus, pertesus (*pro* pertaesus), prebere (*pro* praebere), preceps (*pro* praeceps), precipuus, precordia (*et* praecordia), preesse (*et* praeesse *pro* praeesse), prefari, preliminaris, presidium (*et* praesidium), presto *(adv.)* presul (*et* praesul), preter (*sed* praeterire), pretorium, Ptolomeus, queque (*pro* quaeque), querere (*et* quaerere *pro* quaerere), quesere (*pro* quaesere), seculum (*et* saeculum, *sed* saeclum), sepes (*pro* saepes), sepire (*pro* saepire), sepiuscule (*pro* saepiuscule), sevire (*et* saevire [*sed* saevus *et* saevitia]), teda, tedere (*pro* taedere), tediosus, tedium, Tenarius, teter (*pro* taeter), tropheum

e pro o: temperis (*pro* temporis [*e* tempus])

eae pro ae: heae

i pro e: tita (*pro* theta)

i pro u vel y: mirrha (*et* murrha *et* myrrha)

i pro y: aditum, Assirius (*pro* Assyrius), Boristhenes, Bizantium (*pro* Byzantium), Bizantius (*pro* Byzantius), chalibs, chartophilacium (*pro* chartophylacium), chelis, Cyla (*pro* Cilla), Coccitus (*pro* Cocytus), Elisium (*pro* Elysium [*sed* Elysius]), Erithraeus *et* Erithreus (*pro* Erythraeus), Hippolitus (*pro* Hippolytus), Hiantes, Hiantis (*pro* Hyantis), Illiricus (*pro* Illyricus), Lestrigonius (*pro* Laestrygonius), Lybicus (*pro* Libycus), mirrha (*et* myrrha), presbiter, pixis (*pro* pyxis), Sybilla (*pro* Sibylla), stirax, Strimon, Thetis (*et* Thetys *pro* Tethys), Tycius (*pro* Tityus)

ii pro i: dii (*e* deus), diis (*et* deis), hii, hiis (*et* his *ex* hic)

o pro u: quom (*et* quum)

o pro y: laborinthiacus (*pro* labyrinthiacus), laborinthus (*pro* labyrinthus)

oe pro ae: oerarium, coesus, foenus, gynoetium (*et* gynaetium *pro* gynaecium), moerere, moeror, moestus (*et* maestus), Megoera (*et* Megaera *et* Megera)

oe pro e: foecundus (*et* faecundus), foelix (*et* faelix), foetura, foetus (*et* faetus -us *[subst.]*), Loethe

oi pro o: Troiados (*e* Troas)

y pro i: Amphytrite, archidyaconus, Bethys (*pro* Baetis), Chyron, cyrratus, clypeus (*et* clipeus), Clytorius, Dyana, Gygantaeus (*pro* Giganteus), Gygantomachia (*et* Gigantomachia), Gygas, hybernus, hyemare, hyems (*et* hiems), hystoria, lachrymosus (*et* lachrimosus), Lybicus (*pro* Libycus), nymbus (*sed* nimbosus), ocyor (*et* ocior *et* otior), ophytes, panoplya, Phryxeus, Pyrithous, Plynius (*et* Plinius), satyra, Sybilla (*pro* Sibylla), sydus (*et* sidus), thyasus, Threycius, tyara, Tyberinis -idis, Tytanius, Tycius (*pro* Tityus), Virgilimastyx

y pro oe: omyosis (*pro* homoeosis)

— pro c: exelsus (*pro* excelsus)

— pro h: arundo (*pro* harundo), irundo (*pro* hirundo), omyosis (*pro* homoeosis)

— pro n: piguis (*pro* pinguis), saguineus (*pro* sanguineus)

b pro —: substinere, substulisse

c pro —: nequicquam

c pro cc: ocultare, ocursare

c pro t: adnotacio, castrametacio, cercior (*pro* certior), comicia (*et* comitia), cunctacior (*pro* cunctatior), delicacior (*pro* delicatior), edicio, excogitacio (*pro* excogitatio), experiencia (*et* experientia), graciosus, imparciatur, impaciens, inepciae, inficiae, iurisprudencia, iusticia, iusticium, licenciatus (*pro* licentiatus), Mavorcius, negocium, oracio, ocium, pacientia, paciamur, policia, pocius, praeciosus (*pro* pretiosus), precium, quaciens, quociens, sacerdocium (*pro* sacerdotium), Sargecia, spaciari, spaciosus, spectancia (*pro* spectantia), Stacius, strepencium, suppeciae, tercius (*et* tertius), Tycius (*pro* Tityus), tocies, viciare, vicium (*et* vitium)

ct pro t: arctare, arctus *(adiect.)*, mulcta

cc pro dc: iccirco

cc pro c: Coccitus (*pro* Cocytus)

ch pro c: anchora, choruscus, Schytia (*et* Scytia *pro* Scythia, *sed* Scyta *pro* Scytha), Schyticus (*et* Scyticus *pro* Scythicus, *sed* Scyta *pro* Scytha)

ch pro cch: Bachanalia, Bachus, brachium

df pro ff: adfabre

f pro ph: Eufrates

g pro c: Pyragmon

h pro —: habundare, Herebus, honustus, hostium, huber

he pro —: compraehendere *(pro* comprendere[comprehendere] *in hexam.)*

l pro ll: colimitaneus (*et* collimitaneus), Cyla (*pro* Cilla), humilimus, Salustius

m pro mm: archigramateus, comemorare, comendare, comentariolus, comentarius, cominus, comiserari, comiseratio, comittere (*et* committere), comodus (*sed* incommodus), comunis (*et* communis), symathrismos (*pro* symmetrismos)

mm pro m: summere (*et* sumere), Thommori (*sed* Tomoreus)

mpn pro mn: autumpnalis (*sed* autumnus)

n prom: dimenbratus, inmedicabilis, inmergere, in praesentiarum (*pro* impraesentiarum), inprimis *et* in primis (*et* imprimis)

p pro — *(v. mpn pro mn)*: autumpnalis (*sed* autumnus)

p pro pp: Agripina, apellare, apellitare, Apenninus, Iupiter (*et* Iuppiter), opidum, opugnare, suplex

ph pro f: Aphri, Aphrica, Phalernus, multipharius, nephandus (*sed* fas), nephas (*et* nefas [*sed* fas]), prophanus

ph pro p: Symphlegades

pp pro p: Appollo (*et* Apollo), appostolicus *(plerumque in abbreviatione)*, rippa (*et* ripa)

r pro rh: Rodanus

r pro rr: horendus (*sed* horribilis)

rh pro r: rhete *et* rhaete (*pro* rete)

rr pro r: burra

s pro ss: clasicum, Narcisus

ss pro s: Transsilvania

t pro c: audatia, crutiare (*et* cruciare), Datia, foelitior, gynaetium (*et* gynoetium *pro* gynaecium), iuditium nuntius (*et* nuncius [*sed* nunciare]), otior (*et* ocior *et* ocyor), pernitia (*e* pernix), provintia (*et* provincia), sublitius, Thratia

t pro ct: autor (*et* auctor [*et* author])

t pro th: apophtegma, Argantonius, Cytereis, Phaeton, Phlegeton, Rhadamantus, Scyta, Scytia *et* Schytia (*pro* Scythia), Scyticus *et* Schyticus (*pro* Scythicus), Thetys *et* Thetis (*pro* Tethys), tita (*pro* theta)

th pro ct: author (*et* auctor [*et* autor]), exauthorari (*sed* auctor)

t pro tt: blata, mitere *(et* mittere)
th pro d: Othrysius
th pro t: Bethys *(pro* Baetis), cathalogus, cathenatus, catherva, epithaphium, Ethna (*pro* Aetna), Gethicus, Methamorphoses, Prothogenes, prothomystes, prothoplastos, Rhethicus, symathrismos *(pro* symmetrismos), Tarthesiacus, Thenedos, thesseratus, Thetys *et* Thetis *(pro* Tethys), thorus
tt pro ct : cataphrattus
tt pro t: acttus, Attlanteus, littus

Scripsimus praeterea formas, quae in scriptura classica vel aliter in usu sunt vel duas formas habent, multa deinde vocabula (praesertim nomina propria), quae tantum in Latinitate medii aevi proveniunt et item duas formas scripturae habent:

acephalis (*pro* acephalus), adnotatio (*sed* annotare *et* annumeratio), adsciscere (*sed* asciticius), Agia (*pro* Hagia), aheneus (*pro* aeneus), ahenus (*pro* aenus), Alemannus *et* Alemanus, arena *et* harena, automas -atis (*pro* automatus), Boemi *et* Bohemi, Bosphorus (*pro* Bosporus), Brande(n)burgensis, buccetum (*pro* bucetum), buccina (*pro* bucina), Carpathius *et* Carpatius, Cecius (*pro* Cetius), caeteri (pro ceteri), charus (*pro* carus), circundare (*pro* circumdare), conditio (*pro* condicio), Cymbricus (*pro* Cimbricus), Dalmacia (*pro* Dalmatia), deiicere (*pro* deicere), delitiae (*pro* deliciae), delitium (*pro* delicium), ditio (*pro* dicio), eiicere (*pro* eicere), ex- (*pro* exs- : exaturare, exculpare, execrare, exerere, exilium, expatiari, expectare *et* exspectare, expes, extare, extruere *et* exstruere, exultare), faemur (*pro* femur), faeniseca (*pro* feniseca), faenus (*pro* fenus), Gebenna *(pro* Cebenna), genitrix (*pro* genetrix), gleba (*pro* glaeba), glutitus *et* gluttitus, Adria nus (*pro* Hadrianus), harena *et* arena, Harpya (*pro* Harpyia), harundo (*pro* arundo), humerus (*pro* umerus), Hungaricus *et* Ungaricus, Hungarus *et* Ungarus, lachrima (*pro* lacrima), Larissaeus (*pro* Larisaeus), Lemanus (*pro* Lemannus), Ligur *et* Lygur, lit- (*pro* litt- : litera, sed litterula, literarius, literatorius *et* literatus), loquutus (*pro* locutus), Maeotis *et* Moeotis, Misia *et* Moesia *et* Mysia, murrha *et* myrrha (*pro* mirrha), nenia (*pro* naenia), nunciare *(pro* nuntiare), nuncius (*pro* nuntius), nunquam (*pro* numquam), obiicere (*pro* obicere), obrizum (*pro* obryzum), olus (*pro* holus), oppiperus (*pro* opiparus), Parnasus (*pro* Parnassus), pellegere *et* perlegere, Pestum *et* Paestum, Portumnus (*pro* Portunus), plebeius *et* plebeus, promontorium (*pro* promunturium, Ptolemaeus *et* Ptolomaeus, quicquid (*pro* quidquid) quottannis (*pro* quotannis), quottidie (*pro* quotidie), reliquiae *et* relliquiae, Rhetia (*pro* Rhaetia *et* Raetia), Ripheus (*pro* Riphaeus, Rhiphaeus, Rhipeus *et* Ripaeus), sacius (*pro* satius), schismaticus *et* scismaticus, septentrio (*pro* septemtrio), septentrionalis (*pro* septemtrionalis), sepulchralis (*pro* sepulcralis), sepulchrum (*pro* sepulcrum), simulachrum (*pro* simulacrum) soboles (*pro* suboles), solatium (*pro* solacium), stratagema (*pro* strategema), subiicere (*pro* subicere), tanquam (*pro* tamquam), Tartesius (*pro* Tartessius), Temeson *et* Themeson, thesseratus (*pro* tesseratus), Theutonicus (*sed* Teutones), Thissagetae (*pro* Thyssagetae), Thomori (*sed* Tomoreus), Thurca *et* Turcus, Thyle (*pro* Thule), tocius (*pro* totius), Transilvanensis *et* Transilvania *et* Transilvanus (*pro* Transsil-, Transyl- *et* Transsyl-), trophaeum (*pro* tropaeum), Ungaria (*pro* Hungaria), Ungaricus *et* Hungaricus, Ungarus *et* Hungarus, vayvoda *et* wayvoda, Vergilius *et* Virgilius, Zeclius *et* Zeglius.

STEPHANUS TAURINUS OLOMUCENSIS

STAUROMACHIA
ID EST
CRUCIATORUM SERVILE BELLUM
(SERVILIS BELLI PANNONICI LIBRI V)

A) DEDICATIO

Stephanus Taurinus Olomucensis illustrissimo principi et domino domino Georgio marchioni Brandenburgensi, serenissimi principis Lodovici Ungariae et Boemiae etc. regis potentissimi tutori dignissimo etc., domino suo gratioso humiliter commendat.

Cum superioribus annis, princeps illustrissime, apud reve- 1
rendissimum indulgentissimumque dominum meum dominum Ioannem Thurzo praesulem Vratislaviensem meo cum Venceslao de Wylhartycz iurium professo, viro non minus lepido, quam festivo Nissae Socraticum ad symposion scitis quibusdam convictoribus suis vocatus pariter assedissem, tum de te illustrissimo principe, tum de bello, ut vocant, cruciferorum sermo habitus est, ubi animum eius hoc uno scrupulo vehementer angi aiebat, avebat enim scire, quibusnam impulsoribus, quo fato, qua denique ratione permoti fuerint Pannonii agricolae, ut contra regni illius nobilitatem tam propalam arma sumpserint Mavortia, nam ea tempestate illustrissimam dominationem tuam nonnihil damni ab iisdem perpessam fuisse inaudiverat. Ego vero tunc 2
variis permotus rationibus tacere potius, quam multa inconsulto effutire malui. Nihilominus dominatio sua reverendissima, quae 3
sua est et humanitas et benignitas prope singularis, me, cui merito praecipere poterat, valde benigniter stimulabat, ut Marte meo tam initium, quam exitum plebei furoris huiusmodi caeteraque id genus omnia, quo fieri posset compendiosius, conscriberem, conscripta quantocius publicarem. Quare ego, qui multis de cau- 4
sis imprimis tuae illustrissimae dominationi, deinde toti Thurzigenae domui omnia debeo, iniunctam mihi provinciam obviis ulnis et assumpsi et nedum ea, quae desiderabat, liberalis hospitis more, qui ientacula tantum poscenti amico ipsum nisi exaturatum abire non patitur, sed etiam multo plura perscripsimus; quinque enim libros carmine hexametro a nobis olim scriptos sacro nomini tuo dedicare instituimus. Utinam eiusmodi sint, 5
quae vel tuis in me meritis vel meae erga te observantiae respon-

deant! Hae, inquam, nugae nostrae non modo ad severum unguem exactae non sunt, verum ne primam quidem manum totam acceperunt. Nuper enim, dum Istrogranae aulae maererem, par- 6
tim continuis rauci fori patrociniis, partim reverendissimi domini mei domini Thomae cardinalis Strigoniensis, legati apostolici obsequiis inevitabilibus ita obstrictus eram, ut a tanti principis conspectu interdius etiam per transversum digitum abesse mihi non liceret. Itaque necessum erat inter strepentium aulico- 7
rum catervas aliquid literarum furtim transcurrere et nocturnis subcisivisque horulis fuliginosas ad lucernas quaedam excerpere, excerpta in ordinem redigere, redacta dedolare. Tandem, ubi 8
hoc opus, cui titulum fecimus Stauromachia, paene suum ad umbilicum perduxissemus, de repente adscitus eram inclytae Albensi Transilvanensi ecclesiae, in qua per reverendissimum dominum meum dominum Franciscum de Warda eiusdem ecclesiae pontificem dignissimum tum magistratu vicario, tum aliis non vulgaribus sacerdotiis admodum gratiose suffarcinatus protomysten ago. Subinde eos libros loculosum in scrinium cum aliis chartu- 9
lis meis conieci, regia Buda solvi et post longas viae ambages Albam Iuliam pervenimus vita comite et prosperantibus fatis, ubi et quotidianis negotiis instar hydrae subpullulantibus praecordia nostra sursum deorsumque multifariam distracta alio intendebant. Nec mirum id quidem. Quid enim commercii Musis esse 10
potest verbosis cum iuribus? Illae summo gaudent otio literario, haec sine extremis rixarum negotiis nunquam rite peraguntur. Proinde hae nostrae ineptiae in nonum usque mensem clausae delitue- 11
rant. Invaserat me adversa quaedam valetudo non minus diutina, quam gravis, cuius ego impatiens clarissimum dominum Andream Selingum, philosophiae et medicinae doctorem, languentis naturae ministrum perinde disertum atque diligentem Sibinio accersivi, qui cursu Pegaseo advolans ultra diaetam mihi iniunctam id speciatim, ne quid omnino librorum attingerem, interminabatur. Ego autem in Plinii sententiam pedibus iturus omne id temporis, 12
quod studio non impertiatur, perire ratus committere nolui, ut sumptum pretiosissimum vilissimus corporis morbus sibi totum abriperet, praesertim cum hanc vitam velut alioqui caducam et incertam praeter literatoria otia nihil suavitatis habere, ita ad bonas literas perdiscendas plerisque breviusculam contigisse ipsa rerum experientia certiores facti sumus. Intermissis igitur 13
iurisprudentiae aliisque gravioribus studiis redeunte pristino vigore humaniores delicatioresque Pegasidum et Charitum fontes delibare destinavi. Revolvi confestim chartophylacii mei schedulas; tum forsitan diis ita volentibus Stauromachia nostra in ipso statim limite in manus incidit pulvereo situ et blattis iam paene obducta, quam etiamtum denuo recognovi. Placuit, sed non 14
aliter, quam primus partus puerperae. Eius ego editionem elephantis catulos cunctatius operiri debere persuasus eram, ne eam vituperonum dentes livoris cote acuminati discinderent. Sed 15

subiit subita Apellei illius celebratissimi dicti memoria, qui, cum Protogenis opus immensi laboris ac curae supra modum anxiae miraretur, dixerit, quod manum ille de tabula tollere nesciret. Accessit Plinii Secundi memorabile illud praeceptum: Nimia cura deterit magis, quam emendat. Idcirco hoc opus nostrum nostra sub 16
incude eatenus fuit, quatenus illevigatis et crudis quibusdam Fabii Quintiliani acrimonia expunctis potius, quam exquisita verborum pompa asciticioque rerum decore inumbratum, sed politum et perquam musteum prodiret. Videor mihi modum servasse in ex- 17
cogitatione, in perorationibus, in parabolis, in commiserationibus, in ornatu, in exclamationibus, in manuum consertionibus aut in adstructione, quamquam contractius ea quidem, atque poetae solent; hoc ideo, ne historiae veritas, quae potissimum integra asservanda est, affectatis cincinnorum cooptationibus minuatur. Quapropter, cum superius praefatus sim hasce nugulas nostras 18
nobis non usquequaque displicere, eas ipsas ad te munificentissimum principem, dominum meum undecunque gratiosissimum transmittimus. Quodsi tibi feturam hanc nostram placituram esse 19
intellexero, sciolorum quorumcunque tanquam poetridarum picarum rumusculos anilibus fabulis persimiles non pluris fecero, quam culicem Indus elephantus. Mussitent illi ; Taurinus ex Vir- 20
gilii, Catulli, Lucani, Martialis, Horatii, Ovidii, Iuvenalis, Ausonii, Persii, Silii Italici, Statii, Claudii, Io. Pontani caeterorumque classicorum vatum hemistichiis ac etiam versibus Stauromachiam suam congessit; hanc eorum procacem petulantiam 21
nos Maroniano apophthegmate retundemus, quod ipse suos in Virgilimastigas retorquere solebat, perquam funestum esse vel Iovi fulmen eripere vel clavam Herculis e manu Herculea extorquere. Denique obnoxii animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere. Ego ingenue fateor Lu- 22
canum belli Pharsalici cantorem in hoc intrito calle mihi ducem antesignanum fuisse, unde et ab eius primitio versu a nobis nonnihil immutato Pannonicum hoc servile bellum non abs re sumus auspicati, quatenus pius et candidus lector in ipso statim operis ingressu primordia Lucana pro Taurinianis agnosceret. Similiter et ex aliis poetis in nomenclatura superiore designatis 23
non pauca mutuati sumus voto nostro correspondentia. Modo, quicquid id sit, eius praeconium tuae illustrissimae dominationi totum defero. Etsi benignis auribus tuis haec ceu illepida et in- 24
epta fortasse videbuntur, eo tamen facilius feres, quo Tullius ille Romanae facundiae facile parens aiebat opus esse ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi et negotia et tempora eripiunt. Mihi satis esto, ut servato historiae decoro contractum 25
debitum meum aere etiam alieno persolvam, dummodo illustris magnificentia tua more patientissimi creditoris versuram pro credito excipere non renuat, maxime si ludio ille Terentianus neget quicquam dici posse, quod non sit dictum prius. At mihi 26
forsan abs te, optime princeps, obiicietur perexiguum hoc mu-

musculum tua magnificentia minime dignum esse. Confiteor equidem neque ierim infitias Iovi optimo maximo sacrificos inter honores saepiuscule caespitem et exiguo placuisse farra salino. Longius me provexit dulcedo quaedam, qua illustrissimae domi- 27
nationi tuae coram loqui videbar, et fuissem profecto impendio verbosior, nisi me epistolae ratio receptui canere compulisset, ne modum, quem etiam orationi adhibendum esse maiores nostri putaverunt, ego in praeliminari ac nuncupativa praefatione excessisse dicar. Vale, literatorum singulare perfugium, 28
tuumque Taurinum apud invictissimum principem et dominum dominum Lodovicum Ungariae et Boemiae etc. regem Christianissimum sedulo commendatum habe. Alba Iulia ad Kalendas 29
bifrontis Iani anno Christiano MDXIX.

B) STAUROMACHIA

LIBER I.

Bella per Ungaricos plus quam servilia campos
Magnorumque duces scelerum plebisque profanae
Colluviem et causas tantarum dicere rérum
Fert animus. Non vos, celebres Permessidos undae
5 Cultrices, nec, quae, sacra, vati, oracula, adestis,
Nec te, qui summum gemino feris aethera colle,
Carminibus, Parnase, petam nec Hyantida cantu
Aggrediar, sed vos, Erebi impia fata, sorores,
Et vos, irrequies labor, atri numina Averni,
10 Eumenides, tristemque procax Acheronta movebo.
Vos precor, o vos, quae terris insomnia aperto
Nocte polo secreta hominum, secreta deorum
Vulgatis, tenues umbrae et sine pondere corpus.
Dum nullus nostris protenderit auribus auceps
15 Retia nec vobis testes referentibus adsunt,
Pandite per tenebras causam, cur durus arator,
Pannoniae servile pecus, servilia bella
Moverit et leto proceres proscripserit atro.
Quod, si nocturnas dabitis responsa per auras,
20 Coniferam vestras, grave olentia dona, cupressum
Ante fores ponam Stygiaeque ad limina portae
Liba feram et vestris dicetur naenia claustris.
Improba de tristi consurgens sede Megaera
Arrectis stetit auriculis causaeque patronam
25 Nostrae agit. (Haud mirum, quid enim non munera
Illius in votum pedibus venere sorores [possunt?)
Ipsaque fatali sic orsa est voce:
Supernis
Si qua fides astris aut coelo si quid ab alto
Aethera cognatum humanis in mentibus haeret,
30 A patre falcifero, terras qui sidere pigro
Inficit, et leti causam infelicis et omne
Morborum genus et conspiramenta malorum
Haec manasse puta, plebeos crede tumultus
Edere Saturnum et ferratis texere saeclis
35 Saecula nec longum producere gentibus aevum.
Accedunt horrenda poli portenta, quod olim
Iuppiter et Mavors inimico lumine pressi,
Qua testudineo Geminorum pendula Cancro
Fronte lacertosis iunguntur bracchia nodis,
40 Infortunati ille cadens, stans ille coibant.
Nequiquam visus lentis in Piscibus ater
Solis defectus, qui contra nobilitatem

Iusserat insolito saevire ignobile vulgus.
Seu gravis ira deum seu fata maligna cruenti
45 Hanc belli seriem, has patriae statuere ruinas
Seu, quod per dirum miseris mortalibus omen
Nuper sanguineos flammato vertice crines
Sparserit invisa visus sub nocte cometes,
Sive per augurium feralis carmine bubo
50 Et gemitu crebro strix importuna per urbes,
Praeraucum crocitans mussat niger oscina corvus,
Lucifuga in tenebris super alto noctua tecto
Cucubat et lugubre latrant praesaga futuri
Belli monstra canes, ululant ululaeque lupique,
55 Stulti mortales, fieri qui talia frustra
Creditis et vino, dapibus somnoque sepulti
Ad vitae medios raro pertingitis annos.
Tu quoque, quod crudam mortem gladiosve timere
Nescis, scis hominum sanctas pervertere leges,
60 Aurum, cunctorum plus quam exitiale malorum
Virus, et abstrusae, vos hoc, vilissima rerum
Pars, bellum movistis, opes, semperque parastis
Pacificae genti plebeiam seditionem,
Exilia, interitus, lites, periuria, fraudes,
65 Proelia, furta, dolos, cum proditione rapinas.
Hinc scelerum radix, quae, quanto antiquior esto,
Tanto plus patulis rimatur faucibus aurum,
Edita Avarities, nostris quam propter in aulis
Tantalus a raucis fugientia pocula labris
70 Captans perpetua sitis atrae peste laborat. —
O, utinam Harpyas illas sors illa maneret,
Quae, quodcunque Midas manibus tractaret avaris,
Iussit in auratas converti fercula massas,
Massas, quas pollens Lydorum divite regno
75 Croesus in aurifluis olim corraserat undis.
Sic ait et vanas cum nocte recessit ad umbras
Umbra Megaera levis. Iamdudum turba profana
Sanguinei Thurcae confines Pannoniae oras
Urgebant vario incursu atque hostilibus armis.
80 Thomas, cardinei non ultima gloria coetus,
Quem ramosa ornant vivacis cornua cervi
Semirotam super impacti, Byzantius Aaron,
Pannoniae regis regnique capessere iussa
Cogitur et curva tentare pericla senecta.
85 Quem suus ambiguo et somno et maerore madentem
Talibus eudaemon monitis solatur et urget:
Parce tuis, grandaeve senex, diffidere votis
Praemia nec pigeat parturi certa laboris.
Nil non posse tibi deus annuit, annuit astrum
90 Et fortuna, fides, longa experientia rerum,

Omnia, quae cupias, quae fas est, omnia habebis,
Saltem rumpe moras; sua nulli est grata prophetae
Patria, quae primos externis praebet honores.
Longinquam emensis lustrabis montibus urbem,
95 Urbem, quam dicunt Romam; nil sanctius illa
Iustis, iniustis videas nil taetrius illa;
Nusquam fortunae communior area, nusquam
Tam cito, quam Romae, modo sint virtutis amantes,
Obscuris geniti natalibus alta bicornis
100 Pallade et obsequio transcendunt culmina mitrae.
His actus stimulis iter arripit, omnia iuxta
Fert, caput incanum ventis concredit et undis;
Orator magnam magno subit agmine Romam.
Forte Petri lembum nulli virtute secundus
105 Iulius aequoreis iactatum fluctibus acri
Defensum studio tuta in statione locabat.
Hunc Ligurem, immensi quando orbis et urbis avitas
Duplicibus sceptris moderaret solus habenas,
Armipotens toto tremuit Germania coelo;
110 Hunc Poeni terris timuerunt, aequore Mauri,
Omne, quod Euphratem, quod quinque interiacet
Bracchia, pertimuit, molles timuere Sabaei, [Histri
Territa, Niliaco si qua est, gens, accola fonti,
Magnus et Oceanus, qui terras alligat omnes,
115 Expassum stupido pelagus contraxerat alveo.
Compositis regni rebus commissa referre
Dum properat Thomas, summis hunc fascibus auxit
Iulius et duro fatorum funere raptus
Indignus terra summum conscendit Olympum,
120 Cui Ianus celebri Medicea stirpe creatus
Successit decimus Leo, propugnator et auctor
Iuris apostolici; Maia satus edidit ipsum
Aera falcata penetrans Cyllenius harpe.
Nutriit hunc Pallas; nec solo haec stirps proavorum
125 Clara fuit studio, sed rerum prorsus amica
Fortuna felix, inopes qua iuverat et qua
Romanam Stygio linguam revocavit ab Orco,
Qua Graecas patriam Musas traduxit in urbem.
Decretos iterum Thomae Leo praebet honores,
130 Quos ille invitus vix tandem assumpsit utroque
Saepius et regi et regno repetitus, amatae
Ut patriae citius collapsam restituat rem.
Nimboso fluctu surgebat aquosus Orion;
Tristis hiems tremulo surrepens horrida passu
135 Induit in canos terramque Iovemque capillos.
Tum fastidita solvit Tiberinide Roma,
Cuius ad Utriculos flavas traiecimus undas,
Haud procul ingenti strepitu qua sulphureus Nar

Praeruptis scopulis utrinque artatus ab alto
140 Vertice guttatim ruit imas in cataractas;
Moenibus assurgens passis celeberrima ab uvis
Umbrica flumineum praetexit Narnia nomen.
Post patulum campum montes transcendimus altos,
Unde plagas Tuscas Appenninosque recessus
Oppidaque aeriasque arces, castella situmque
Vitiferos inter colles ultroque citroque
Vidimus et magno Laurentia condita sumptu
Delubra ingredimur miro fecunda sacello.
Ventum est ad portum, quem Dorica sustinet Ancon,
150 Sidera chimerinos dum percutit ima profundus.
Ausus hic Hadriaci furiosas aequoris undas
Brumae temporibus Veneta legere arbore et ausus
Illyricos penetrare sinus temerarius audax
Taedia, flabra, nives vomitumque famemque sitimque
Multum ille et terris, multum perpessus et alto.
Namque excita Euro tempestas horrida utrimque
Cornua fractarum contorserat antennarum.
Spe desperata servati sorte deorum
Hic, ubi Carniolis cinguntur montibus Histri,
Fluctibus eiicimur; legimus fracta rate litus
Illyricis cultum populis cultumque Liburnis.
Perpetuus patulo qua proruit Aeolus antro,
Dentibus attritis gravis ancora de rate in aequor
Mittitur et portum dabat in statione furenti
165 Segnia, quae segni torpescit frigore brumae,
Segnia, quam rapido Canis aestifer ustulat igni,
Segnia, Dalmaticos non longe a finibus. Istic
Iam quater octenos obliquo lumine soles
Complerat Titan, quo nos scelerabile frigus
170 Esuriesque adeo misere confecerat, ut vix
Haererent vani macilento in corpore nervi.
Sic illo tandem discessimus adque cupitam
Tendimus Ungariam Theumesi terga Leonis
Occiderant oriente Lyra fulgentibus astris.
Iamque Savum duro contractum frigore onustis
Curribus, hinc Dravum resolutum navibus imus.
Atque ita sub laetos nummosi Pannonis agros
Venimus et magno ad Strigonia templa triumpho
Deductum dominum laeti comitamur et illo
180 Solventem sequimur regales usque sub aulas.
Hic, ubi fulnificis olim fornacibus aetna
Ignea erat, munus recoquendae calcis adustum,
Cornibus oblongis pluviosum clausus ad austrum
Mons arte exectus regalem sustinet urbem;
185 Budam Romani, Fornacem nomine apellant
Teutones externis opulentam rebus.

Ibidem
Regia digna Iovis nascenti pervia Phoebo,
Roscidulis Phaethontis equis quando aurea cano
Purpureas Aurora comas de gurgite profert,
190 Tollit ad astra caput laqueataque tecta coruscis
Divitiis crassoque trabes absconditur auro.
Istic Phidiacis lucent asarota figuris,
Fornicibus crustata domus Parioque politae
Effigies instar speculi de marmore fulgent,
195 Ornant caelatos aes fulvum et fusile postes,
Purpuream sardam, maculosum onychen, ebur alta
Atria sustentant viridi distincta smaragdo,
Circumquaque calet vitreis fons limpidus undis.
Ad Mariae Albae aedem curru sublatus ab alto
200 Thomas Sidonio bis tinctam murice pallam
Induitur summi praesentia numina Christi
Virginis et matris sacrata iuvamina poscens.
Captis auspiciis subiturus regia tecta
Spumiferum conscendit equum, quem fulgida primum
205 Sceptra manent; mox siderei crux alta tonantis
Fertur et a pedibus nitidas, duo signa, secures
Hinc atque inde gerunt; longo post ordine patres
Linigeri, denso magnates turbine, vulgus
Legatum terna circundat inerme corona.
Iam prope turritae lucebant moenia Budae,
Frondea grandaevum qua dissecat insula primas
Danubium lento lambentem flumine portas.
Ipse suum natum regem rex indole mira —
Di, quantae puero charites, di, quantus in illo
Ante dies animus, di, quanta in principe ephebo
Mens et cana fides! — positum super Astura notam
Iussit obire viam multo comitante ministro.
Ensifer et pictus venientem anteambulo regem
Praecedunt longis ambagibus. Ecce superbus
220 Rex arcis valvas, urbem atque suburbia calcat,
Rex iuvenis, novus Aeacides, dignissimus heros,
Flos, amor humani generis, praenobile regni
Delitium, clavo rutilans sublimis in aureo
Torquatos inter proceres interque togatos
225 Pontifices, cui flava humeros lambitque tegitque
Caesaries. Crine et madido cirrata caterva
Omni ex parte subit, subit omni ex parte Selingus
Gentili mixtus Moravo mixtusque proceris
Boiemis tam vestitu quam corpore pulchris.
230 Vastae archiflamen Bachiae Gregorius omni
Virtute insignis, bonitate fideque probatus,
Quem Capitolinis Tarpeia saxa columnis,
Exquiliae et Martis Campus cum colle Quirino

Mons et Aventinus, fora quem Romana recensent
Stemmatibus claris et longo sanguine cretum,
Principis ad tergum, de Frangapanibus, ibat.
Ibat Ioannes Goston, veterum atque novorum
Historias sacramque chelyn, qui sidera coeli
Novit ceu proprios ungues; Podmantius illum
240 Assequitur felix hoc praesule nomen ab amne
Celsa trahens patulum prospectat Nitria campum.
Deinde Ladislaus Vaciensis dexter agundis
Pannoniae in rebus, Charitum Phoebique sacerdos,
Emunctae nimium naris, pede sive ligato
245 Sive lubet magnum sermone tonare soluto,
Aequavit veteres, praesentia nomina vincit.
Huic haesit parili studiorum laude cathedrae
Boznensis praesul; reliquos sermone Pelasgo
Pontifices magno post se videt intervallo,
250 Quorum plus nimio nomenclatura vagata est.
Tum vero in numerum comites regemque videres
Ludere equis et equos crebris hinnitibus auram
Complere et strepitu coelum resonare profundum.
Mox, ubi perventum est extremae ad limina portae,
255 Conspicua rubro insignitus fronte galero
Obvius it Thomas. Inspecto principe princeps
Comminus accessit Lodovicus Pannonius rex,
Rex iuvenis, novus Aeacides, dignissimus heros.
Blanda tuens caput inclinat cervice parumper
260 Demissa tacitamque oculis labrisque salutem
Innuit; hanc contra gestuque habituque decorus
Nutibus acceptam legatus nutibus offert.
Quem simul et regem tacito observare Georgius
Coeperat insignis praesul Quinque Ecclesiarum
265 (Sed male in hexametro quadrant haec nomina versu),
Integer et purus sceleris, cui maxima regni
Res curae est et cui sua cancellaria curae est.
Vir probitate ingens, huic non consultior alter
Rebus in ambiguis, fandi gnarissimus, illo
270 Praesule nil usquam videas studiosius, illo
Nemo minus solus quam solus, quippe diei
Noctem operosae addit multam, furatur et horas,
Quis veterum evolvit, volvit monumenta novorum.
Mirandum in vultum mirandos fixit ocellos.
275 Tum circumspiciens blandum sic ore rotundo
Macte, novis, orsus, titulis dignissime summi
Pontificis legate, venis, dextro alite utrisque
Regibus et nobis, patriae charisque propinquis
Expectate diu, pacis transmitteris auctor,
280 Exoptate diu, proprias remeare sub aedes.
Quod tua dignata est excelsa potentia, quod iam

Corpore ades nobis, aderas qui mentibus olim,
Gratamur, durum quod iter deviceris; inquam,
Te redeunte redit priscorum portus honorum,
285 Te duce perdundae mediis immersa tenebris
Ungariae sua forma redit, rediere priora
Tempora, cui soli Thurcarum terror et error
Improbus et rerum cedet concordia discors.
Hanc tu Tartareo, proconsul maxime, solus
290 Proscribes Erebo et portis damnabis ahenis.
Te plausu hi proceres, te haec turma piissima cleri,
Te plausu parili sexus veneratur uterque,
Vive, vale, quantum non Arganthonius heros,
Non Pylius Nestor nec avis rediviva nec hausto
295 Pulvere mensa suam Cumana Sibylla senectam;
Postremo serus iungaris coelitibus dis.
Hoc cupio, haec ingens votorum est summa meorum,
Hanc mihi, quaeso, ratam magni moderator Olympi
Faxit, cui paret Phlegethon, mare, sidera, tellus.
300 Dixerat. Hunc contra sic archipraesul agebat:
Altera hiems abiit, iam tertia volvitur aestas,
Ut patria carui et peregrino errare sub orbe
Debui et emeritis istis non parcere canis,
Quam fuerat sacius Phoebo Musisque vacasse
305 Et latuisse domi, quam summi praesulis aulam
Sollicitam terere et caput hoc obtundere curis.
Sed rex et regnum, quibus haec ultra ossa tenemur
Hanc animam, has nobis curas, haec iussa dederunt;
His potero, quicquid potero, et benefacta suorum
310 Officiorum in me memor alta mente reponam.
Sic ait et regem dextrorsum pronus obibat.
Atque, ut nubiferae ventum est sub regia Budae
Moenia, successum et tectis, mox luce sequenti
Concilio magnis regni de rebus habendo
315 Selectos proceres rex accersivit, anhelus
Filiolusque paterque sua cum principe nata,
Qua nihil in toto videas formosius orbe.
Sub sua legatum cunctantur tecta futurum.
Quo viso lachrimis vultum perfudit obortis
320 Singultusque imo crebros de pectore fundens
Rex grandis natu post longa silentia ita inquit:
Venisti tandem sub nostra palatia, magne
Compater, et terra multum iactatus et alto.
Fausta sit ista dies niveis signanda lapillis,
325 Quae mihi te reducem dedit incolumemque videre.
Haec tibi sint cordi nostrae dulcissima vitae
Pignora Caesareis ambo decoranda coronis.
Iamque parabantur pompae simulachra futurae.
Ingens circus erat Budensi saeptus in atrio.

330 Quanta super summis poterat consistere tectis.
Tanta subit turbae facies; undare videres
Ima viris, altas consurgere matribus aedes.
Mixta mari coniunx et plenis nubilis annis
Ad celsum virgo podium spectabat amicta
335 Coccinea insigni tunica, quam limbus obibat
Purpureus; niveumque aurata monilia collum,
Ornabat madidos curvum crinale capillos.
Luridus imbriferis infaustum nubibus omen
Sol dabat exoriens. — Quis solem dicere falsum
340 Ausit et errantem frustra nigrescere lunam?
Illa dies atro fuerat carbone notanda,
Qua peronatus cruce signabatur arator.
Ut staret dominos contra et subduceret arto
Colla iugo, hinc promptam male agendi sumpserat
345 Zeglius ut votis vidit sibi mille petitum lansam.
Oblatumque diem, vultu pietatis iniquum
Dissimulans animum Budam pernicibus alis
Advolat, extremo quo involveret omnia casu
Promptus ad omne nefas, cunctorum Lerna malorum,
350 Thesaurus scelerum gestusque artemque nocendi
Edoctus, violare fidem sensusque minaces
Cognatam et ficto fraudem praetexere risu;
Ira ingens, furor atque ingens, ingentibus ausis
Illi animus fastuque tumens ambibat honores
355 Supremos, quem continuo imperiosa cupido
Omne agit in crimen; non hunc reverentia divum,
Non amor aut pietas charorum certa parentum
Ulla movet, mediocre nihil sperabat et omni
Plenus nequitia lucrique cupidine flagrans;
360 Aurea non uni Pactoli stagna rubentis,
Non Tartesiacis tempestas fulva lapillis
Orta Tago nec opes Croesi nec scrinia Crassi
Sufficerent, quin auriferae decoctor harenae
Semper egenus, inops, furtis et vivere rapto
365 Acrior Eurynomo, nece peior, tristior Orco,
Qui vitio alterius nigrum praefigere theta
Novit et integros odiis turbare sodales.
Quodsi tale usquam monstrum transacta tulissent
Saecula, Pirithoum Theseus pertaesus, Orestem
370 Odisset Pylades, ovo prognatus eodem
Dimidiumque sui sprevisset Castora Pollux.
Is morulae impatiens caecaque libidine regni
Captus in exili servilia tempore bella
Movit et in pagis iuvenesque virosque senesque
375 Symbolica cruce signari, quos invenit, omnes
Compulit agricolas, stringens pratensia cursu
Aequora Pegaseo nil non tentare veretur.

Ut probitate carens praeponit turpia honesto,
Sic assueta malis falso pervertere verum
380 Mens solet. His vulgum ampullosis circuit orsis:
Ingenue dicam, maiorum stemma meorum
Aut vanos titulos aut ostentare triumphos
Non valeo, at, si res, si tempus postulet, hastas,
Vexillum, phaleras, clavam gladiumque scutumque.
385 Adde cicatrices adverso in corpore sparsas;
His ego imaginibus partis sudore perenni
Glorior, haec nostrum decorarunt stemmata nomen.
Nobilitas nostra est multo pretiosior illa,
Quam levis ambitio perfusaque gloria fuco
390 Per fas perque nefas parit et dat posteritati.
Electum regale genus, servata tonanti
Pignora sidereo, crucifixi stemmata Christi
Nostras ad tunicas servatoremque benignum
Devoti gerimus pronis in cordibus; ille
395 Nos deus astripotens iubet atrum perdere Thurcam.
Parendum est iussis (neque enim mihi fallere quem-
Est animus) ; quos ire iuvat sedesque beatas [quam
Perpetuum et nomen sibi quaerere, rite caduco
Corpore constanti subito nos mente sequatur.
400 Plus exempla movent populum, quam verba regentis,
Quis sine nil recte disces, nil rite docebis.
Ite, pares, mecum, socii comitesque, venite!
Primus ego vadam per mille pericula, primus
Incipiam primusque pedes in pulvere ponam.
405 Flammivomus me sol feriat, mihi ventus et imbres
Telaque Sicaniis excusa Cyclopibus uni
Officiant fatisque potens incommoda vestra
Declinabo meis nudoque hiemare sub axe,
Axe sub algenti bibulis profusus harenis
410 Vobiscum molles sub divo carpere somnos
Aut Scythicum duris haurire bipennibus Hebrum
Non pigeat; nobis communia singula sunto.
Ite, pares, mecum, socii comitesque, venite!
Militiam modo quisque suam poscatque probetque.
415 Quaerite virtutem, memorandi exemplar honesti
Proelia gesturi varios cingamur in usus.
Quippe magis gaudet rebus patientia duris,
Quanto plura tulit dubii discrimina mundi.
Ite, pares, mecum, socii comitesque, venite!
420 Praesertim, si sancta fidem asservare probatam
Iura iubent nobisque est tradita copia belli,
Iure dato nobis uti legumque licebit,
Salvos vos ducam, salvos, mea vita, reducam.
Sic fatus populo bellum persuasit et arma
425 Pro se quemque iubet varios assumere in usus.

Tempus erat laetum Zephyris et hirundine prima,
Omnia cum rident, cum ludunt floribus agri,
Cum pingues tepidus terras irrorat Eous
Et peregrina novum testis componere nidum
430 Gaudet ibis; desiderio vis addita crevit
Agricolis multum furacibus; hi omnia bello
Postponenda putant pacem dominosque perosi.
Mox divumque hominumque pater sublimis Olympo
Despicit et tantas miseratus pectore clades,
435 Proh superi! exclamat, miserando incumbere regno
Pannoniae vulgare nefas, spectacula cruda,
Crudeles pugnas inimicaque proelia cerno.
Atlantis facunde nepos, qui nostra per auras
Nuncia, qui tacito defers mandata recessu,
440 I citus et capiti petasum, manibus cape virgam,
Aurea pennatis pedibus talaria necte,
I volucer pacemque aeterno foedere iungas
Palladis armisonae ; te Martis multa sequentur
Praesidia has pugnas prorsum extinctura cruentas.
445 Dixit. At hunc Consus monitis obiurgat amicis
Iuppiter, haud verbis opus est, opus est ubi facto ;
Nec Martis vires nec mitia Palladis arma
Sufficiunt tantis belli pugnaequa periclis.
Aegida, qua quondam saevorum turba Gigantum,
450 Murmure cum magno cecidit Titania proles.
Ni modo concutias, res est in cuspide ferri.
Nec mora; rapta manu Siculorum tela fabrorum
Vibrabat deus astripotens fulmenque retorquens
Horrendo tonitru totum concusserat orbem.
455 Praepetibus pennis Budam funestus ad ipsam
Nuncius invisum referens ex ordine crimen
Advolat et pulsat clausi penetralia regis.
Triste quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Tota telonea agri Comani exusta, telonum
460 Ambustis sudibus suspensa cadavera passim,
Passim flammivomis natos ex ignibus ignes
Nunciat, in proceres saevisse ignobile vulgus.
Hinc rerum malus interpres, metus omnia pessum
Ire iubet, quod vera solet geminare pavoris
465 Ingenio ; primum pavidam undique et undique cepit
Ungariam, dehinc longinquas conterruit urbes.
Territus Hadriacum traiecit Dalmata pontum,
Citra ultraque Pharum Triquetri timuere tyranni,
Italici Gallos, Galli Germana petebant
470 Oppida, Theutonicus divisos orbe Britannos
Ibat et Herculeis vicina Hispania metis.
Qua armatos homines, qua plaustra onerata furenti
Turbine percellit violentus Circius et qua

Naucleros tuta prohibet statione moveri
475 Sole Rhodos, Iove Creta, Cyprus Cythereide felix,
Indevincendos vix non liquere penates.
Ut sibi fortunam, bellum tempusque locosque
Zeclius agnorat vultu aspirare secundo,
Induit effrenes animos, audacibus ausis
480 Non solum agricolas, verum cives proceresque
Evocat in bellum crudele necesque minatur,
Ni veniant: mediis in vicis prodromus altos
Fixerat humano maculatos sanguine palos.
Extemplo attonitos gelidus timor occupat artus
485 Heroum, turbata sibi sic sceptra tyrannus
Pannoniae promittit iners, ridentibus excors
Fortunae placidae votis male coeperat uti.
Petrus Vesprinnae bellax antistitor urbis,
Illyriae banus — sic illum Panno salutat,
490 Cuius ab imperio provincia tradita pendet;
Hoc duce Dalmaticis plebs dura sub Alpibus audet
Aut simile aut maius magni Mavorte Philippi;
Dignus, cui assignes tripodas donesque corollam,
Cui merito cedat vel Larissaeus Achilles,
495 Quem possis patriae assertori aequare Camillo —
Talia sanguineo transmisit scripta tyranno :
Metiri sua regna decet nec fidere servis.
Proh nimis ignave, poteras cognoscere ab ipsis
Unguibus, intutum quam sit confidere servis.
500 Nulla fides servis, nisi dum tua ferbuit olla.
Vivit amicitia proiectis vilior algis
Rustica plebs; nulla genus arte domabile semper
Stat dominos contra; quid agas, dux improbe, nescis.
Multa cadunt inter calicem supremaque labra.
Nam lapsu maiore ruunt, qui culmina honoris
Transcendere; iubet mala sors florere nocentes
Et languere pios, consortibus ambrosiam dis
Qui miscet, pede fortunam qui calcat utroque
Ipse cadis geminis et laeta et tristia promit
510 Et sua virtuti, sceleri sua praemia reddit. —
Proh nimis ignave vel Gryllo stultior, illam
Plutonis dominam reginam tamne repente
Irreverenter habes, curvum qui nuper aratrum
Vertere doctus eras; tua foedo insignia rastro
515 Lucebant et adhuc nescis, dux improbe, nescis,
Lubrica et instabilis quam sit sors; nempe superna
Nunc suffulta rota partes modo versilis imas
Occupat ; hunc tollit, premit illum ; laeta capillis
Frons, sed tergotenus calvaria glabra resedit.
520 Ipse ego nummacem, Croesum qui vinceret auro,
Vidi hodie et novi cras Iro pauperiorem.

Tecum habita, tua regna proba, te noveris ipsum!
Sero nimis discis, superum quid lenta deorum
Ira potest et lenta potest quid principis ira.
Aspera radicem trunci scissura securis
Imminet; ut quondam formae bonitatis abusus
Purpureum in florem Nireo formosior ibat
Narcissus, sic sic ultrix Rhamnusia de te
Exiget insuetas miserando funere poenas.
Extemplo infestis exustas hostibus urbes,
Muscatas vites, hortos, pecuaria, caulas,
Horrea cum cellis et propugnacula et arces,
Oppida cum villis sinuoso condita tractu,
Piscosus circum quae volvitur amne Tibiscus,
Omnia aequata solo, nihil omni ex parte relictum.
Fama volans aras, donaria, templa, sacella,
Coenobia atque focos Vestales semine multo
Pollutos, magnae violatas turpe Dianae
Sacrificas vates, raptas viduasque nurusque
Nunciat et procerum madefactam sanguine terram.
Hoc terrore gravi non solum civica turba
Perculsa est, sed rex et regis curia et ipsi
Heroum cecidere animi tantisque procellis
Saepti bellantum servilibus undique monstris
Deficiunt tantumque modo reparabile damnum
Eventu ; stolido rerum didicere magistro.

LIBER II.

Optimus interea Vladislaus Ungariae rex,
Munificus princeps, quo non praestantior alter
Iustitia, pietate, fide, clementia, eburno
Suffultus solio, quem fama loquacibus alis,
Unde venit Titan, ubi iners ruit Oceano nox
Ultra Sauromatas alioque sub orbe Britannos,
Evexit, magna cum maiestate verendus
Delectos regni proceres accivit et illi
Non secus, atque olim praenuncia discolor Iris
Cogerat ad summi iussum Iovis omnia coeli
Numina, sic regis veniuntque ruuntque sub aulam.
Nos classem ingredimur misso Strigone vadoso,
Danubium Illyricis regem fluviis numeroso
Remige sulcamus; regali splendida luxu
Buda iterum turres, summa et fastigia monstrat.
Pontificum et procerum magna occursante caterva
Susceptus celsas legatus tendit ad aedes.
Ergo ubi collecti proceres, ut rebus in artis
Consulerent tantisque darent praesentia morbis
Pharmaca, mansuetus princeps blando ore monebat:

Quae per vos cecidit, per vos fortuna resurgat,
Selecti heroes; o vestro debita regi
Progenies, regni summam esse in cuspide ferri,
Undique sanguineas pugnas, gravia undique bella
Cernitis et duros in nos nostramque salutem
Spirasse agricolas, belli portenta cruenti.
Quae nisi quam primum radicitus evellantur,
Actum est. Ergo agite intrepidi, virtute manuque
Consulite in medium; patrios tutate penates,
Quandoquidem plures in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Quare obsecro tandem,
Ingentes praestate animos, succurrite rebus
Fessis, summa fides supremos computat annos.
Este animo forti, fortes in pectore pugnas
Nocturnis versate horis, versate diurnis.
Audaces Bellona iuvat. Mars arma animumque
Suggerit, o nostrae felix tutela salutis!
Si vos nulla movet miseri clementia regni,
Sint saltim vobis nostra haec duo pignora curae,
Pignora, spes et res nostrae et solatia vitae.
Ite, precor, precor, hoc servorum rumpite bellum,
Ite alacres animo et varios cingamini in enses,
Est opus effrenem gladio delere iuventam,
Talia ne seri praesumant facta nepotes.
Pellite servilem patriis a finibus hostem,
Frangite terribili servilia castra tumultu.
Dixit et ad multam solvit comitia noctem,
Volvitur et gelidus circum praecordia sanguis
Nobiliumque gravis constrinxerat omnia torpor
Pectora, nam tensis iam dudum tela lacertis,
Tela manu volvunt telisque frequentibus instant.
Pluma, dapes, Bacchus, nox et secura nefandum
Otia crimen habent, habet et sua regna veternus.
Horum prima meret dulci stipendia lucro
Fusus ad irriguos fontes et opaca vireta
Aulicus ignavae desumens tempora vitae.
Inter pomiferos millenis floribus hortos,
Ridentes hortos, qua mollis amaracus et qua
Vere novo fragrans rosa candida mixta rubenti
Complet odoriferis topiaria picta coronis,
Mille solent istic nuda certare palaestra
Pinnirapi et doctis proiecta carne lanistis
Sublimes liquido revocantur ab aere nisi.
Mille coronandi sertis ciniflone madentes
Pexi Thessalico crispantur pectine crines.
Ille Miloniacis ventosum viribus orbem
Bracchia continuo quatiens sudantia ludo
Folliculum excussis trudit per inane lacertis,

Ille brevi facilis gyro concludere corpus,
70 Oenomai vocat ille pedem in certamina currus
Spectantumque alius cupidos perstringit ocellos,
Certa incerta facit ; modo quod vaga dextra tenebat,
Ostentat iam laeva ; fuit paulo ante quod aurum,
Transeat in nigrum sub eodem corpore plumbum.
Stuppa vomens tardum fumum (mirabile visu)
Gutture sub pando subitos mutatur in ignes.
Plurimus inde fluit nullo de vulnere sanguis,
Mox abit in nihilum tactus digitis cruor uncis.
Fabula seu verum narratur: Mulciber olim
80 Artibus his summum fertur lusisse tonantem.
Humanos taceo sensus et pectora multum
Credula. Sed fari rursus sic Zeglius infit:
Sim licet ignarus sophiae, cunis et ab ipsis
Nescierim sacrata loqui, tamen illa lubenter,
85 Si modo vos linguis animisque favebitis, orsus
Dicam, quae iuvenis suggesto stantibus alto
Bardocucullatis caput olim a fratribus hausi.
Non ignoratis, quam sit scelerata propago
Nobilium falso maiorum stemmate gaudens.
90 Quum non arma atavis data, verum nobilitatem
Virtus clara parit, non ambitiosa potestas
Cum virtute coit. Sapiens et dogma disertum est:
Qui vult esse pius, trabeatis exeat aulis
Pauperiemque colat rabido livore carentem
95 Et quae sub tanto rerum discrimine celsum
Sola caput coeli rutilantibus inserit astris. —
Olim, ubi turpe chaos, rudis indigestaque moles
Orbe sub informi pulchra sine luce iacebat,
Consilio discreta dei stabilitaque formas
100 Accepere suas, proprios facta omnia vultus;
Dehinc opifex rerumque sator post omne creatum
Quum protoplaston limo telluris Adamum
Eius et ex costa consortem fingeret Evam,
Quis tum Caesar erat? quis rex, quis miles ad aurum?
105 Qui proceres? dominus quis princeps? Omnibus idem
Si nobis pater est, nullum dominum esse putemus. —
Denique Romani, quibus ingens paruit orbis,
Dites patricii, sed nomina pauperis aevi;
Serranus curvum flexit dictator aratrum,
110 Fabricii Fabiique suas burique trahaque
Squalentes trivere manus, ignobilis oti
Mollia quin etiam pictae plumaria spondae
Spernebant et harundineo lenire soporem
Tomento et querna rugientem pascere ventrem,
115 Amne sitim vitreo restinguere; at impia monstra
Nobilium census pretium diffundere censu

Aut sua ab alterius iacturis commoda quaerunt
Aut passum instaurant alieno funere damnum;
Picti oculis fusique coma roseique labellis
120 Ungunt Assyria rorantia pectora myrrha;
Delitias molles et olentia tempora sertis
Illecebrasque omnes referunt similesque puellis
Aurea purpureum subnectit fibula pectus. —
Mors illis pretium, tormenta immania curae,
125 Maiorum tabulas frangunt et velle paterno
Obveniunt (parvo nunquam contenta paratu
Luxuries), census patrios proavisque paratas
Divitias plenis perdunt bellaria mensis;
Ambitiosa fames epulas terraque marique
130 Tempore quaesitas multo nox decoquit una.
Nunquam Clitorii delibant flumina fontis,
Semper inescati stomacho vulgaria temnunt
Et peregrina bibunt auro murrhaque Falerna;
Phasiaca Argoa primum traducta carina
135 Rara avis illorum cenas et prandia complet.
Hos apud haud sane minimo discrimine refert,
Quo gestu lepores et quo gallina secetur.
Namque abacum ad lautum cultello scite volanti
Chironomus structor quadras dispensat iniquas. —
140 Regia perdundos circum palatia fumos
Vendere virtuti adscribunt, blaterare lepori;
Immodici iactatores scelerum usque suorum,
Fabula quo fiant populi, per compita vulgo
Traducunt proprium crimen sine fronte modoque. —
145 Iura deum legesque hominum discrimine nullo
Et rixosa fori vendunt tabularia, vendunt
Iustitiam ; censent ibi fas, ubi maxima merces ;
Nil pudet assuetos sceptris; impune licebit
Quodlibet ; ut longa nil assuetudine maius,
150 Sic crebro agnatam malus usus transit in artem. —
Virtutem laudant admiranturque probatam,
Ut pueri Iunonis avem, maluntque videri,
Quam esse boni, quos et viduas stuprare pudicas,
Casta puellarum temerare gynaecia, sponsas
155 Innuptas premere et thalamos violare iugales
Depuduit, quos perfregit vesana libido,
Dum Curios simulant et Bacchanalia vivunt;
Promittunt rigidos caperata fronte Catones;
Incusator erit, verum qui his dixerit; omnes
160 Omnia nugantum promittunt more procorum,
Quaeque volunt, nolunt, nolunt nunc ultro cupita. —
Tam verbis miseros, quam factis fallere servos
Distinguunt avidi nullo discrimine, quorum
Si scelus et scelerum sua propria nomina quaeras,

165 Promptius aestatis spicas vel gramina veris,
Autumni foetus, hiemis nimbos et aperti
Astra poli Libycasque magis numerabis harenas. —
Accedit, gravius quod servi more premamur,
Sibila dum fessi toleramus colla labore. —
170 Iam, si tempus adest, subducite colla tyrannis,
Praesertim si iura iubent obstare tyrannis ;
Iure dato nobis uti legumque licebit. —
Certe opus est passim reges iugulare et amica
Libertate frui, nova iura, abolere vetusta
175 Pragmata nobilium monitisque salubribus aures
Arrectas praebete meis ; partibor in omnes,
Quae ridens fortuna dabit, dabit optima quaeque.
Non rex vester ero, fiam socius, comes ibo
Ipseque ad arbitrium vulgi faciunda reducam
180 Concedamque libens, posito diademate vestrum
De me iudicium non indignabor haberi.
Regnorum sub rege novo mitissima sors est. —
Vos, dum occasio erit, vestrorum cognita fratrum
Forma nec adversa conspecti fronte parentes
185 Permoveant, suus est omni anteferendus amori.
Quando adeo dulce est aliena vivere quadra,
Audendum est aliquid vel caeco carcere dignum
Tantus amor nostri est, tanta est victoria curae.
Tam procul externis populis dominabimur, Hebro
190 A gelido quantum tepidus procurrit Hydaspes
Aut quantum Scythico fluit absque Borysthene Baetis.
Mollis Arabs nobis, nobis vaga flumina Gangis
Curvaque Erythraei parebunt litora ponti.
Nos ventura dies, praesens venerabitur aetas.
195 Scriptores nostris verbosa volumina gestis
Complebunt, que posteritas in saecula mittet.
Nam, si quid rudibus fas est promittere chartis,
Quantum grandiloqui durabunt vatis honores,
Tantum, crede mihi, mea vivet stauromachia. —
200 Omnia dent poenas, nihil esto a caedibus expers;
Usque Cleonaeos ira superate leones!
In proceres, qui sit Libyco truculentior urso,
Vultum quisque gerat, sed vos ne cedere quisquam
Dixerit.
His monitis currentes incitat; omnes
205 Trux vindicta manet. Quantum spes ultima rerum
Libertatis habet! — Placuit sententia cunctis.
Atque, ubi persuasos animos elusit, iniquo
Assensere omnes sceleri et simulatus inani
Assensu coalebat amor, ceu consita harena
210 Nunquam spicicomas producunt semina aristas.
Sic simulata fides quam primum flamine lento

Libatur, radice carens intercidit ima
Funditus; insueto stolidus consultor honore
Vitam laetus agit; iam quod sibi tanta licere
Turpes agricolae, vulgus crudele superbum
Annuerat, sibi Pannonicos cessisse Nerones
Credidit et dubiam fortunam coepit abuti.
Igneus interea Phoebus regione suprema
Volvitur et longis lustrabat solibus orbem.
Clarus ubi croceos Aurorae Lucifer ortus
Deserit, ingentes acies dux improbus omni
Contrahit ex illa et passim tentoria figit.
Hic, ubi piscoso tardissimus amne Tibiscus
Danubium fecundat aquis, pecus unde ministrat
Squamosum, applaudunt nymphae Istrides, Istrides undis
Et septemgeminum credunt sibi cedere Nilum.
Extemplo armatas acies et cornua conis
Densa parat Stephanus proles Bathorea nitenti
Munitus galea atque ocreatis cruribus ambas
Aurea squama manus tegit, aureus ensis utroque
Dependet lateri capulo insignitus eburno;
Belligerum pectus lorica indutus ahena
Scandit equum longamque manu procul obiicit
Qualis Bistonii rapidum prope Strymonis amnem
Mavors in Thracas letalia dirigit arma
Vel qualis Phrygiae clipeoque insignis et armis
Dux Danaum naves conscendit Marte secundo,
Talis inauratos tetrarcha lupos mandentem
Flectit equum et comites castra ad servilia ducit.
Zeglius adversis conspectis hostibus arma
Quemque sua arripere et venienti occurrere fronti
Hortatur socios promittens praemia palmae.
Hic falcem, gladium alter habet, rapit ille pharetram
Gnosiacis plenam iaculis; multosque videres
Stuppea torquentes Balearis verbera fundae;
Non illi marrae, non isti sarcula desunt.
Tum ferrugineos quidam renovare ligones,
Ille novos iterum conflato vomere in enses
Sollicita purgare manu, pars maxima curvis
Falcibus, hi rutris, pars uncae fidere burae;
Pars occae dentem, quo glebas fregit inertes,
Vitiferum ad palum nodis nectebat ahenis.

LIBER III.

Nec mora. Pugnandi cupidus Bathoreius Hector,
Quem sequitur praesul Chenadinus, fidus Achates,
Nicoleos, claro Zachorum sanguine cretus;
Ambo pares animis, paribus virtutibus ambo.

5 Innumeram pauco contemptam milite turbam
Importune adeunt, media atque in castra feruntur.
Mox dira horrisonum deprompsit buccina murmur,
Mox raucis lituis elisus stridulus aer,
Mox ausae dare signa tubae, canor aethera pulsans
10 Ultima convexi penetrabat sidera coeli. —
Tum vero innumeris vaginis ducitur ensis
Noricus et contra oppositum protenditur hostem
Rustica tam subito gens consternata tumultu
Ordine stans nullo, nexis umbonibus armos
15 Texerat atque suos enses compressa timebat.
Perdidit inde modum caedes: hinc bella geruntur
Ferro, istinc iugulis; timor hos, metus occupat illos.
Praecipiti cursu peditem ferus hostis in hostem
Lapsus eques longa ferratae cuspidis hasta
20 Occlusum patefecit iter ferrique calentis
Ictibus a crebris loricae abiere trilices.
Utque erat acri et vafro animo, demersa profundo
Corda metu monitis partim solatur et urget
Zeglius; his offert sua praemia, mortibus illos
25 Sumere animum iussit iussitque obstare pavori;
Inde suis ausum terroremque hostibus auxit.
Extremum iam lucis erat, dum sidere taetro
Vesperus obscura fera proelia nocte diremit.
Saepe faces visae nitidis ardere sub astris,
30 Saepe inter pluvias guttae cecidere cruentae,
Saepius exortu ferrugine Phosphorus atra
Tinctus erat, tincti Lunares sanguine currus.
Mane novo subtriste oriens Aurora nitentem
Nec radiis ornata comam nec flammea vultum
35 Nec croceum vestita diem lugubria nigro
Nube sub obscura produxit tempora Phoebo.
Zeglius immenso servorum milite vafrum
Cumque animo facinus reputans hostemque ducemque
Cingit. Erat Stephano belli spes omnis in armis,
40 Namque manum parvam robusto milite et arte
Pugnandi gnaram mixtis conflarat ephebis. —
Tum procerum cuneos grex undique et undique cinctos
Rusticus aggreditur; coniunctis tergora tergis
Nobilitas plebis furias cohibere ferocis
45 Eminus urgentis, falcatos rumpere nodos
Nititur incassum, liquidas et verberat auras.
Faenisecarum etenim longa super arbore falces
Obiicit et medium, quem tangit, dissecat hostem
Agricola. At contra horribili de pyxide densus
50 Igne globus volitans plebem funditque fugatque.
Impetitur celsus, qui castris imminet, aer;
Aer ex calidae liquefactus pondere glandis

Fumat et e coelo telis conserta ruit nox. —
Terga dabant nodi peditum tergisque frequentes
55 Insultant equites feriuntque fugantque fugatos.
Non secus Aetolum in campis Meleagria virgo,
Spumantem dum sternit aprum, aut Zenobia telo
Qualis in Aethiopum quondam sitientibus arvis
In fulvas regina feras armata ruebat
60 Ausa pedes rabido sese obiectare leoni;
Sic et in ancipiti fortuna et Marte fugaces
Agricolas magno revocat conamine bellax
Zeglius et lasso pugnis Stephano nova miscet
Proelia; iam fessi proceres stant corde gelato
65 Nec liticen pugna caruit nec cornicen hasta. —
Omnia casus agit; nullis victoria castris
Certa; incerta fides bellorum illusit utrisque.
Tandem nobilium cecidit vis innumera vi
Rusticolae plebis; nihil est a vulnere tutum.
70 Interimunt quosdam Tyriis emissa sagittis
Illita tela dolis; lateri letalis harundo
Haesit et abstruso transfodit viscera ferro.
Pars nudata truci perfregit tempora conto,
Pars prelis agitur gravibus, sed frigidus illum
75 Mucro manet; multis, hosti qui terga dedere,
Letifera occiduo clava est infixa cerebro.
Nox erat et clauso latitabant sidera coelo;
Defessus rerum plebeisque ictibus acri
Trusus equo Stephanus subterque cadavera passim
80 Mixta cadaveribus procerum plebea suorum
Insomnis longa sine nomine nocte iacebat.
Martia mucosas exundant vulnera nares
Obstrusique ducis galeae fragmenta retortae
Tempora sanguifluis clavis compressa perurunt. —
85 Surgebant Hyades et Olenia sidera nimbum
Aethereum nigris fundebant nubibus et dux
Sole novo densa vicini in harundine stagni
Abditur et tentat durum depellere fatum.
Luce latet tota mersus stagnantibus undis
90 Nec temere durum tentat depellere fatum.
Nam, quicquid reliqui fuerat vitalis, ubique
Disquirunt rabidae plebes; Spartanus ut alto
Assolet in luco latitantem nare Molossus
Gnaro vestigare feram, sic mente sagaci
95 Reliquias omnes procerum sub Tartara mittunt.
Quandoquidem non fruge latent, non arbore in alta
Nec quenquam volucri manibus pernicia cursu
Eripiunt, captos adamantina vincula stringunt.
Stringunt Nicoleon deprensum scrobibus altis,
100 In quas praeteritam pavidus profugusque silentem —

Proh miser! — ad noctem cecidit, quem Zeglius excors
Delusum Argeo dederat custode tenendum.
Sed meliore satus fato Bathoraeus Achilles
Expes solivagum reperit detrita Tibisci
105 Fluminis ad ripam tondentem gramina equellum;
Hunc petit, hunc scandit, secat altas fluminis undas.
Non sic Cretaeis taurus sibi pondus amatum
Fluctibus Europam tulit, ut tulit acer equellus
Tergore supposito Stephani liventia plagis
110 Membra et in obiecta ripa tutata locavit;
Nec sic dulcisona quondam testudine captus
Undivagus lato delphinus Ariona ponto
Vexit et Oebaliis columem proiecit arenis.
Carcere conclusum procerum genus omne catenis
115 Squalebat gravibus, donec lux tertia coelo
Flammiferis totum radiis patefecerat orbem.
Socrate Nicoleos non impatientior infit:
Magnanimi ducis est, nulla ut se vindicet ira,
Parcere subiectis et castigare rebelles;
120 Sit moderatus, amans aequi veniamque petenti
Deneget haud unquam, confessa errata remittat
Sponte sua, postquam nemo sine crimine vivit.
Flecte animum, compesce iram, depone furorem!
Pone supercilium, caperatos pone Catonis
Vultus et miseras mitis res aspice nostras.
Nostras per lachrimas, per nostram hanc oro corollam
Perque tuum nomen, dux invictissime Zecli,
Felicem sortem, felicia fata deosque
Per tibi propitios erratis parcito nostris,
130 Parce tuo servo, nulla est victoria maior,
Quam quae devictos animo quoque subiugat hostes.
Munera magna dabo, sunt acceptissima cunctis
Munera, quis summi compescitur ira tonantis.
Hanc animam concede mihi, tua caetera sunto.
135 Nam tibi, dum vivam, fuero servire paratus.
Zeclius hunc contra:
Si nostris charior esses
His oculis, iamiam sacer, intestabilis esto!
Nicoleon Zachum referunt sic deinde locutum:
Nil agis hac ira, crudelis et improbe trifur,
140 Crede, mea haud refert, sublimene humine quiescam,
An sude vel mucrone cadam, mors ultima poena est
Fortunaque vacat. Genitrix orta omnia tellus
Suscipit; hoc olim, quod nostris ossibus usquam
Ardua de Pario non surgat marmore moles,
145 Proderit, humani facilis iactura sepulchri.
O amens! Superos dudum malefacta latere
Nulla queunt; lento divina gradu venit ira.

Sed vindicta dei, quanto sit tardior, ipsa
Tanto fit gravior; nullum scelus ibit inultum.
150 Ut ferit excelsos fulmen penetrabile montes,
Sic est extremis obnoxia summa potestas
Casibus. Haud nosti, superum quid lenta deorum
Ira potest et lenta potest quid principis ira.
Ad mihi statutas, immansuetissime, poenas
155 En securus eo; te mandet dentibus atris
Stipator, dux torve, tuus.
Nec plura loquutus.
In medio suppressa sono est pars ultima vocis.
Vita fugit; diro transfigens lactea ligno
Viscera lictor iners indigna morte peremptum
160 Corpus in excelso posuit miserabile trunco,
Tensa per expassam rumpuntur viscera pellem.
Caede cadunt alii, quorundam corpora acernis
In verubus rapidos contorrebantur ad ignes;
Diripiunt aliis sua tergora, mortibus illos
Conficiunt, excarnificant feriuntque necantque,
Dum superest unus vita spoliandus anhela.
Nobilibus vestitus ager pro rore cruorem
Imbibit et multo vaga flumina sanguine manant,
Nam dimembratis inhumata cadavera passim
170 Mixta viris quina sine nomine luce iacebant.
Occisos spoliant nec humare cadavera curant,
Unde sepulchrales extra tentoria pompae
Spargere funus erant. Stygias sic ire sub umbras
Fata iubent, ut busta alii pretiosa parentur,
Hunc voret ignis edax, illum mare sorbeat, alter
Aethera nunc coelumque tegat, qui non habet urnam.
Roscida turgenti fratrem bis lampade Phoebe
Viderat infectis cum cornibus; improbus, eheu,
Zeglius omnia erat; deerant iam proelia Zeclio.
180 Nam crescunt aliis conspiramenta sub oris
Pannoniae tantum, quantum gens rustica crescit;
Crescunt instar hydrae, surgunt, coeunt, glomerantur.
Ut sua mille apium tabulata examina linquunt,
Sic liquere casas vicosque, mapalia, villas
185 Agricolae et miseram monstrosis caedibus explent
Ungariam. Mixti claustrinis fratribus ibant
Presbyteri et bello comitesque ducesque preibant,
Quos Maro vix pingat melius, vix fingat Homerus
Doctius aut mordax satira taxaret Aquinas.
190 Quam primum teneram male sanus transfuga frontem
Perfricuit, bellum superis indicit et audet,
Quae volet, et nullum scelus intentare veretur.
Zeclius his plebem ducibus commisit inermem
Et sua confestim resona sub valle locari

195 Castra iubet, mediam quam parvulus Agria parvo
Amne secat crassamque suo de nomine apellat
Agriam et agrestes exundans irrigat hortos.
Interea plenis flavebat messis aristis
Et rapidus flammis Lernaei bracchia Cancri
200 Procyon et gemino Titan extenderat astro.
Vicerat astra iubar, miseri dum turba popelli
Pugnae signa petit rabidoque accensa tumultu
Instantis leti properantes admovet horas.
Arx et templa deum muro conclusa capaci
205 Colle sedent patulo, quorum moderabat habenas
Cardineum specimen, Romani gloria coetus,
Caesaream tangens seriem' longisque atavorum
Principum imaginibus clara de stirpe Aestensi
Editus Hippolytus, praesul probitate decorus,
210 Qualem sexcentis ex patribus augur Apollo
Seligeret. Nimium felix antistite tanto
Agria persuasa est magnam sibi cedere Romam.
Bonzagnus sacri iuris legumque peritus,
Quem non Pegasides, quem non latet armipotens Mars,
215 Funestos vulgi cuneos aggressus ad unum
Signatos crucibus pedites detrivit et altam
Aequavit vallem tumulis, stetit usque cruentus
Agria et albentes etiam nunc ossibus agri,
Carpathii aethereis surgunt ubi montibus Alpes
220 Sarmatiam a laeta separantes Pannonis ora.
Confestim ad regem malefacta haec omnia perfert
Prodromus et vanis famam rumoribus auxit.
Accersit rex consilium, cui regia primum
Iure palatino palatia credita sunto.
225 Plenum consilii pectus, quo frena duorum
Regnorum et totidem regum moderantur habenae.
Legislatorem non talem habuere Solonem
Res Pandioneae, non tam Lacedaemona doctum,
Quam frugi consulta dabas, Emerice Pereni:
230 Quis novus hic torpor, proceres, quonam usque fluetis
Turpi desidia? Graviorum turba malorum
Cuditur, ignavae trahitis dum tempora vitae.
Publica plebeum lugent aeraria damnum,
Pannoniae rerum domini patresque togati,
235 Invigilate una, tacito nam tempora cursu
Diffugiunt coelumque volubile carmine nullo
Sistitur aut spectris remoratur lubricus annus.
Sceleribus ille suis ferus et praeclarus habetur
Zeglius, hos gladiis aditus, hos ignibus arcens
240 Exuit heroas castris et strage pudenda
Cognatos proceres fundit servilibus armis.
Quae tibi causa morae? intestinum crescere furem

Quid pateris? Noto nihil est latrone sub aethra
Deterius, rubigineos iam cote mucrones
245 Illyricis munitus aquis hincinde Savonus,
Thurcarum fuso foedatum sanguine veru
Asperat et Carnus Stirusque, ubi struma decori est
Pendula ventosis distentans guttura saccis,
Nubiferas fugiunt execto calle sub Alpes.
250 Nec solum Austriacos timor hic conterruit agros,
Verum etiam argutae penetralia pulchra Viennae
Movit; Phidiacae summo de vertice turris
Victrices aquilas, invicti Caesaris arma
Maximilianeis crebris decorata triumphis
255 Penniculo inscriptis famoso contudit ictu.
Pannoniae fluvios multo manare cruore,
Occisos partim proceres affixaque palis
Corpora et immensa cives in caede natare
Audistis nec porrecto dormire in utramque
260 Auriculam pede nec vigilanti stertere naso
Non pudet? Ecce suas vicina Polonia vires
Discutit et flavi longa statione Prutheni
Describunt pedites, qua spumans Istula magno
Mergitur Oceano, qua montibus effera summis
265 Gens habitat nunquam ridentis conscia veris.
Aspera sidereos qua profert Rhetia montes,
Invictae Helvetio coguntur velite turmae.
Rauracus, en gladio falcem mutavit aduncam;
Iam sua fixerunt picti tentoria Suevi
270 Armatisque cavum constravit navibus Istrum
Boius et indomitos Epicurea Praga Boemos
Contrahit et curvum modo castra metatur ad Albim.
Conspice ferratos cuneos delectibus actis,
Qua Morava exundans piscoso flumine pingues
275 Marcomanorum agros rigat atque Olomuntia claustra
Turribus et bina circundata moenia fossa
Cingit et Hussitis defensat ab hostibus urbem.
Tartarus hinc, hinc Moschus atrox horrenda pharetris
Tela replens arcum lunat; Scytha plaustrifer illinc
280 Territus agricolis falcatum spiculat ensem;
Argolici et Sergi et propius timuere Sarissae;
Arvina pingui clipeos et lucida Parthus
Arma fugax tergit subigens in caute secures. —
Temporius te fata vocant, non serius, inquam,
285 Consulere in medium laus est, sed inutile semper
Consilium post facta fuit, quod oportuit ante.
Quare, age, venturas non ultra differ in horas
Crastina! Num claro patrium per compita furem
In vestro clausum gremio simulare potestis
290 Marte, igni, ferro misere populata penatum

Moenia, dependere opera interrupta minasque
Murorum ingentes infraque supraque ruentes? —
Anne timetis eum, cui vos decet esse timori,
Qui nil non audet scelerum, quem tanta libido
295 Nos extinguendi iam pridem incesserit, ut nec
Cordi habeat superos, qui nostris ludere sceptris
Et mortes etiam nostras, quam caetera malit
Omnia, ni tantis occurrimus ocius ausis?
Nil reliquum est, ac ferre iugum cervice parata
300 Exiliumque pati, pati ineluctabile fatum.
Quod certe praestat, quam partum amittere regnum,
Quam exauctorari et servis servire cruentis. --
Tantane vos generis liquit fiducia vestri?
O patria, Ungaria, o divum domus, o sine noxa
305 Pannonia infelix, quo tanto crimine, tellus,
Peccasti in superos, ut te tot mortibus unam
Conficerent servi proprii servilibus armis?
Quid iuvat Eoum sine causa absolvere regnum,
O superi? vestris cessate irascier Hunnis.
310 Hunnis plus satis est iratum. Rure fugatus
Oppida mercator, cives liquere penates
Quisque suos et nos rerum dominique salusque
Vix Budam incolimus plebea faece repletam.
Illi etiam claves urbis commisimus, illam
315 Nos insensati custodem fecimus et nos
Immundos liquidis immisimus amnibus apros.
Dedecori est fortuna prior nec sceptra nec urbes
Tuta manent, iamiam Lethaeum pelle soporem,
Inclyta nobilitas, servilia nata sub ipso
320 Bella sinu ex imis opus est purgare medullis. —
Surge, age, tolle moras! referunt si vera parentes,
Maxima veloci subeunt discrimina passu.
Rebus in adversis nocuit differre paratis.
Turpe minus vinci, quam non contendere; summo
325 Principio obstandum, scintilla neglecta frequenter
Curriculo depacta vagos prorumpit in ignes.
Interea servile pecus Marte omnia complet.
Hic, ubi Cremnicii sudant aeraria montes,
Quae in formam calidae cuduntur pondere massae;
330 Aurum, quod populos scelerata impingit in arma,
Frangitur et multo conflata talenta argento
Arte monetali regale nomisma vocatur.
Concurrunt acies. It tantus ad aethera clangor,
Quantus in Idaeis ictis a fulmine silvis
335 Fit sonitus quantusque in vallibus assonat Echo.
Istac divitias, irritamenta malorum
Imprimis numerare datum est. Hic civica plebes
Plena epulis, madida atque mero Venerique parata

Quottidie luxu et mensis assueta secundis
340 In multas vitiatur opes, Epicurus ut alter
Finibus Eois nascentem surgere Phoebum
Raro videns tanto strepitu experrecta labanti
Pariete quassatas credit concurrere turres,
Excelsos auri specus ruere; abdita passim
345 Lymphato trepidare metu monumenta videres.
Chasmatiis alii, quidam dum tarda cubili
Membra levant, alii leto vinxere soporem.
Ille inter cyathos, sponda ille sepultus in aurea,
Purpureo ille toro recubans profusus in arto
350 Coniugis amplexu iucundaque gaudia miscens,
Dum Venus ex imis stillat resoluta medullis,
Proh scelus! impactis linquunt sua fata labellis.

LIBER IV.

Nec mora; nigrantes succincta pavoribus alas
Fama volans divi pervenit in atria regis
Et sua millenis retulit lamenta querelis.
Sedis apostolicae legatus, portus et aura,
5 Nativae Ungariae primas et praesul ad unguem
Perfectus, belli impatiens servilis ita inquit:
Semperne in bellis semperne in sanguine, ferro
Inque fuga timidi versabimur? haeccine nostra est
Virtus, o rerum domini, ut servilia monstra
10 Monstroso bello patrios delere penates
Non tam socordes, quam semiviri patiamur?
Credite, non falso dicetur protinus in nos;
Saepe malo accepto stultus sapit. Improbe torpor,
Totius regni captas amisimus urbes,
15 Nos Buda una capit, tenet oppida caetera Zeglius,
Pannoniae fatale malum fulmenque, quod Hunnos
Proterat heroas. Non illi flamma nec undae
Nec vesana fames nec Dacica saepta resistunt.
Ibit in occasus mundi Boreamque Notonque
20 Ambibitne polos et Niliacas cataractas?
Tigrinque Euphratemque uno de fonte fluentes
Hauriet? Extremo victorne redibit Araxe?
Degeneres nimium, nimium distamus ab illis
Maiorum saeclis, quorum primordia gesta
25 Et ritus faciemque soli, quodcunque vetustis
Insculptum est adytis vel quicquid nostra relatum est
In chronica, haud multis verborum ambagibus usus,
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.
Magnanimis gestis quaesita est gloria nostrae
30 Pannoniae, Eoos inter pars optima tractus.
Nonne superborum quondam fatale flagellum
Attila praeduris Europae cladibus omnes

Subiecit populos, ignotos miscuit amnes,
Belgarum Scalden, Ubiorum sanguine Moenin.
35 Quando Caledonios navali caede Britannos
Stravit Agrippinae non longe á moenibus urbis,
Diruta peltigeri nostras penetralia Moschi
Cognovere manus; immensa potentia Thurcae
Saepius a nostris fuit expugnata veredis.
40 Exulibus Scythia Parthis non profuit olim
Spicula converso fugientia dirigere arcu.
Nonne catenatis Rhodano et Rheno trepidabat
Te veniente ferox Germania et Itala tellus?
Hispani, Calabri, Galli Scotique, Sicambri
45 Concessere et Hyperboreus concessit et acer
Epoto depastus equo sua Sarmata discors
Sacramenta dabat pactae pro foedere pacis
Aurea pellitis transmittens munera donis. —
O quotiens bello Herculeo victricia sumpsit
50 Proelia Pannonius! Populatum sanguine regnum
Restituit regi profugo et potitus triumphis.
Unus adhuc deus est, maiores vincere nostros
Qui voluit, nobis serisque nepotibus idem.
Credite, non aberit, longum modo parce morari,
55 Ungara nobilitas, rerum nos summa sequetur.
Si haerent cuncta deo, sanctae non terminus unquam
Ungaricae ditionis erit. Sic Iuppiter alto
Aethere despectans iussit mortalibus aegris,
Ut vivant curis districti et erumna profusis
60 Ingenitum infantem lachrimis preeatque sequaturque.
O socii multo passi graviora, quid ista
Colluvie tristare potes, invicta propago?
Si caret eventu subitus furor, improba nunquam
Facta diu durare queunt; legistis et ipsi
65 Maiorum annales, memori si mente tenetis,
Marte, quod, iniusto Ungariam quicunque petisset,
Nemo victor abit; Mariae regumque piorum
Auspiciis tuta est, has nunquam numina sedes
Destituent, iactata procul novistis in hostem
70 Fulmina sanguineum Stephano pugnante beato. —
Este animo forti neque vos servilia turbent
Bella; nihil terrae cultor pecorisque magister
Marte valet; cadet hic non multo a milite, postquam
Ille cerebrosus, tantorum causa malorum,
75 Zeglius infandas cogetur sumere poenas.
Nec mirum, quod nostra modo servilis et excors
Vexet regna labor, vastum si proelia mundum
Discruciant et ubique habitet discordia concors. —
Quandoquidem casus fas est cognoscere nostros,
80 Num quondam saevit Mavors, quando omne Latinum
Fabula nomen erat; seges est, ubi Troia manebat.

Lucida compositam nec semper sidera pacem
Observant summumque Iovem, si credere fas est,
Centimano timuisse ferunt turbante Typhoeo,
85 Quum sua centeno vestisset bracchia monte. —
Sed quid ego vobis exempla extraria narro.
Num quartum Belam trux Tartarus Ungaro ab orbe
Eiecit, pepulit Dacos e sedibus altis,
Quas secat aurifluis Marisus fecundus harenis.
90 Denique thesauros vada sub Sargetia quondam
Decebalo obstrusos, qui Nervae deditus armis
In sua desaevit stricto praecordia ferro,
Decebalas turres, Traiani clara triumphi
Signa, Zalatnam, Albam, Zarmiz aut Abrugibaynam,
95 Pontem quadrato caelatum marmore, pilis
Vicenis rapidas claudentem Danubii undas
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae. —
Numina fatorum mortales ferre necesse est,
Inculpata quidem, nam fiunt omnia fato,
100 Si fortuna ferat; lapsis meliora redibunt
Tempora et haec olim forsan meminisse iuvabit.
Ergo, age, Pannonii o, si qua est, inclyta regni
Nobilitas, si quem maiorum gloria tangit,
Belligera sis praesto manu iurisque paterni
105 Assertor, patria plebeos tolle tumultus
Et remove servi funesta satellitis arma!
Crede mihi, inflatis collectum cornibus hostem
Fundemus, certa haud multas victoria dextras
Exigit, agricolas hos agricolasque futuros
110 Dignas pro meritis cogemus pendere poenas.
Sic fatus virtute viros accendit et ista
Plus animi consulta dabant, quam bella timoris
Indiderant; omnes idem pugnandi habet ardor.
Confestim rigidos levis armatura sub enses
115 Cingitur, hinc arcus, Geticis oppleta sagittis
Hinc pharetra, a tergo dependet concavus umbo;
Ille levi iaculo palmas oneravit, ab illo
Ferrea robusta vibratur lancea dextra.
Itur ad antiquas taciti magno agmine ripas
120 Danubii; pars lintre natant, pars densa phaselis,
Hi trabe connexa spumantem classibus amnem;
Ultima nobilitas lunatis navibus ibat.
Est locus e regione satus cognomine Pestum
Colle minor celso, tumulis provectior altis;
125 Hic circum apricos campos Cereale papaver
Nascitur et variis hortensia munera pomis
Spargit humus, fragrant leporaria regia flore,
Flore crocum tenero cultis innascitur hortis.
Istic rusticolae sua passim castra locabant

130 Praecipiti in ripa; rursus tentoria figunt
Regni acies longas crispantes comminus hastas.
Tempus erat, flagrans rabido cum Sirius astro
Cornigerum Aegoceron, Cancrum quoque compare zona
Percutit et medium signorum intersecat orbem.
135 Ecce meris gaudens undis Abstemius, Hunni
Quem Bornemyssam ascito cognomine dicunt,
Egregia genitus veterum de stirpe baronum
Prompturus magnam parvo de corpore vocem,
En, ait, Arctois rigidoque sub axe pruinis,
140 Hic, ubi lunatum Chiron ferus exerit arcum,
Nascimur assueti bellis et Martis aduncos
Cingimur in gladios et ad incunabula nobis
More patrum strictae vestes nec fluxa per armos
Velamenta sedent longam sinuata per oram,
145 Nam male ventosis manicis depellitur hostis.
Audendum est hodie pro libertate parentum,
Pro patria et nobis pugnandum Marte secundo.
Extremum ferri superest opus, omnis in armis
Servilis belli claudenda est visque metusque.
150 Omnia fortunae parent, fortuna castra tenentur,
Fortuna pereunt. Aiunt dixisse poetam:
Res hominum fragiles alit et regit et perimit sors,
Sors incerta quidem, sed quos praeblanda fovet spes,
Spes mortale bonum, pro muro audacia habetur.
155 Gloria non minor est nomen servare patratum,
Quam quaesisse novum. Nostra exitus acta probabit.
Dixerat et flammas animis flagrantibus addit.
Tum plebe e media vir prosilit unus aperta
Fronte ducem tali compellans voce:
Precantes
160 Nos, modo da veniam, plebea extrusit in arma
Zeglius; inviti bellum hoc partesque timore
Fecimus; is poenas luat aequas, illius unum
Pro multis detur caput; improba et indiga rerum
Pauperies inimica probatis moribus, istud
165 In bellum servile suo nos turbine traxit.
Quare da veniam, viduos permitte penates
Et sobolem et thalamos atque orphana pignora notas
Desertasque casas dulcesque revisere amicos,
Fumus enim patriae est alieno clarior igni.
170 Si meritae culpae suprema pericula semper
Indulgent, modo flecte animum sensusque minaces
Temne et obaeratis errata ignosce maniplis.
Miretur sua quemque domus nostrique nepotes
Improba vitabunt duri certamina Martis.
175 Dispereat tandem bellum servile nec unquam,
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit

Rusticolis regnare vacet; vel sceptra vel urbes
Nolumus; herbosos carioso vomere campos
Scissuri varia stipabimus horrea fruge
180 Et sata inoccemus resolutis semina glebis.
Bis denis sua vota deis, quibus agricolum res
Cordi est, solvemus nec delirabimus unquam.
Cote nigras iterum scabra rubigine falces
Exesosque situ veteres splendere ligones
185 Cogemus censusque graves, vectigal iniquum
Et naulum faenusque vorax numerabimus et te
Laudibus aethereum super extollemus Olympum.
Hunc contra Ianus:
Verbum est sermone notandum.
Sero Phryges sapiunt; quem sero poenitet, idem
190 Haud vacat a culpa; vos poenas crimine dignas
Vulcano crucibus sudibusve rotisve luetis.
Confestim madidas tibicen flamine buccas
Torvaque bellisonis complebat cornua bombis.
Nec mora. Stentoreo pugnam clamore minantis
195 Signiferi longa ventrem transverberat hasta,
Quam plagae impatiens forti comprendere dextra
Nisus fraxineum perfregit robur, at heros
Vagina eductum capulo tenus abdidit ensem;
Pulmonem mediumque iecur traiecit, ut alvus
200 Illius et fractae patulo de vulnere costae
Conciderint fuso maculantes sanguine terram.
Utraque fulmineo concurrunt agmina motu,
Servilis metus hos, libertas incitat illos.
Pugna gravis bellumque tenax cuneique feroces.
205 Missilibus telis cecidit pars maxima vulgi
Nigraque perpetuo claudebat lumina somno.
Ungula quadrupedum multorum colla peremit.
In geminas partes hic unco scinditur ense;
Hos sub equis, illos campis affixerat hasta;
210 Innumeri, ut norant sibi adesse novissima fata,
Compressere manus seseque in fluminis undas
Praecipites agitant resupini et fletibus ambas
Complerunt ripas, violenti vorticis amnem
Infringunt nando mortemque evadere tentant.
215 Ter submersi in aquis, liquidis ter conditi in undis
Luctantur superasque petunt moriturier auras
Et, quamquam poterant Portumnum vincere nando,
Qui vel in Euboica vivax Anthedone gramen
Carpserat undivagi Glaucus novus incola ponti,
220 Corpoream tamen ad molem madefacta resedit
Paenula; tum tales fuderunt ore loquelas:
Occultum nil esse sinit lux candida fati;
Dignam pro meritis hoc alto in gurgite mortem

Hanc patimur, quando miseras mortalibus auras
225 Et vitam abstulimus dulcem; discrimine nullo
Execrata sacris et mystica sacra profanis
Miscuimus; iustus cernit deus omnia iudex.
His animas dictis spirabant udaque magnus
Corpora Danubius fundo sepelivit in alto.
230 Pars capitur captosque adamantina vincla ligabant.
Detinet hos nervus, nonnullos dura catasta
Urget; ubi igniferi Vulcania vincula fabri
Cudere deficiunt, fagis panguntur et ornis.
Exuvias iam quisque suas, sua quisque trophaea
235 Trans Istrum attonitum ratibus ducebat onustis.
Callosa innumeri torpebat dextra paventis
Remigis et torvam metuebat navita praedam.
Cursilibus pars vecta rotis Budensia tendit
Moenia, pars Pestum trahitur longoque morantur
240 Ordine plaustra vias plebei plena triumphi.
Hanc ubi conspexit manibus post terga revinctis
Et faciem multo foedatam sanguine plebem,
Commiseratus eam, rex Vladislaus ita inquit:
Quis tibi tractandos gladios pro vomere noto,
245 Degener agricola, et culto praeponere agello
Impia castra dedit? Servilis quis tibi belli
Tantos persuasit strepitus, stultissima plebis?
Quam bene depastae laudabas ubera vaccae
Quondam et harundineo coeli contraria tecto
250 Vitabas! Quid terrificum fulmenque Iovemque
Nocte sub incerta divo prostratus aperto
Pertuleris? sulcos vinetaque fetibus almis,
Perfide, fraudasti? Nonne ordine ponere vites,
Urendam filicem neglecto evellere sulco
255 Gramineos et agros duro proscindere aratro
Invitosque boves stridenti inducere plaustro
Atque mori per virtutem, quam vivere rapto
Praestiterit? vestris possem modo victor abuti
Mortibus; at vestrae cladis miserescimus ultro.
260 Principis invicti est, nulla ut se vindicet arte;
Parcere subiectis qui norit, obesse superbis
Qui valet, hunc sceptro dignum cole. Prima triumphi
Praemia devictis cupitam donare salutem.
Ite, redite domum! Bacchum Cereremque neglectos
265 Excolite et defrugatis opulescite campis,
Missa ruinosis reparate mapalia tectis! —
Tu vero, belli dux improbe, pessime claustri
Transfuga, Laurenti, sociis cum fratribus et vos,
Satrapae, ad insanos tosturi stabitis ignes.
270 Sidere non fausto sati et infelicibus horis
Exitium infelix, crudelia fata novasque

Ante pedes poenas et inexorabile praebent
Iudicium, dimembratis quorum artubus istic
Lurida Pentheo lacerantur corpora ritu.
275 Exectis venis digitos pedicasque manusque,
Bracchia, crura, genu, poplites et faemora, pecten
Et latas spatulas et cum pulmonibus armos
Cordaque visceraque et longi internodia tergi
Carnifices in frusta secant torrenda verutis.
280 Plus plagarum alii semusto in corpore habebant,
Quam variis tinctus maculis Thebanus ophites.
Non magis exusto stillantes corpore guttas
Enumerare potes, quam viles aequoris algas
Hellespontiaci vel quos agit Hadria ponto
285 Ionio vastos ad inhospita litora fluctus.
Omnia nervorum torrentur vincla cavumque
Pectus et abstrusi fibris vitalibus artus
Igne fluunt, manant humeri teretesque lacerti,
Colla, caput, coxae; tepido non ocius Austro
290 Nix resoluta fluit, taetro quam sanguine venter
Liquitur et nigra distillant inguina tabe.
Tum gemitus plebis, flammarum stridor et ardor
Carnificumque ictus eiulatusque cadentum
Omnia complebant, compleverat omnia plangor,
295 Ut solet ignifluis Lipare sinuosa cavernis
Plangere, ubi Sicula Cyclops incude laborat
Aut Brontes, Steropes portentosusque Pyracmon
Terrea ventosis dum follibus aera resolvunt;
Sic loculosa omentati compago cerebri,
300 Tostus aqualiculus crasso distentus omaso
Sanguinat et tabo submotum praefocat ignem.
Non secus excussa glomeratus ab arbore nimbus
Depluit aut molli vestitae cortice glandes,
Utque superiectas tranquillo in flumine bullas
305 Imber agit, sic usta cutis tumefacta maligno
Pingui rupta sonum stillantes edidit offas.
Zeglius interea Moesorum invaserat agros,
Caesar ubi Odrysium Getico foedaverat Hebrum
Sanguine, quum vitream brumali frigore molem
310 Adstricto volucri biga sulcaret in Istro.
Non longe Ungaricas finitor circulus oras
Pontica Sergiacis disterminat arva colonis;
Rupe super celsa luco redimita virenti
Aethera fronte legens, hominum vix pervia gressu
315 Soerinium sublime sedet Thurcasque vagantes
Despicit et septem frangendum cornibus Istrum.
Fons sacer Heraclio, qua Chosroen fuderat armis,
Hac scatet, huic numen vetus accola inesse putabat.
Hinc arcem ad Temeson sua duxit castra Georgius.

320 Arx duplici vallo, duplici circundata muro,
Ardua sub cuius cuneatim ubi moenia ventum est,
Menstrua plebei toleravit bella furoris.
Nil non ingenii tentabat et arte manuque
Cum Stephano satrapa Bathoreae stirpis alumno
325 Zeglius obsessos cupit oppugnare maniplos.
Hi sibi commissas turres arcemque aditumque
Tantis servabant curis, conamine tanto,
Quanto olim armisonis coelestia numina turmis
Sideras tutare domos, quando invida Tellus
330 Prole Gigantea summum expulsura tonantem
Omnia monstrifico turbabat saecula fetu.
Sulphureos ignes fatalemque aenea glandem
Machina terrifico fundebat utrinque boatu,
Pulvere confossus crebros gemit aer ad ictus,
335 Pendula missilibus cedebant nubila saxis,
Semirutae turres concussaque moenia fumant,
Indevincendum vallum labat ariete crebro,
Fortis et a magnis nutaverat ictibus agger
Iamque una timuit condi Natura sepulchro.
340 Non sic Inachiae turrita ad moenia Troiae,
Nec sic ad Trebiae muros portasque Sagunti
Pugnatum est; gravibus saxis solida aera fatiscunt.
Saxa oppugnabant saxis neque pellere plebem
Saxa queunt, adoperta gravi quam mole tegebat
345 Vinea vimineis contexta e cratibus. Acer
Portitor a summo direpta repagula poste
Illisit capiti murum ascendentis, at ille
Decidit in terram mactati more iuvenci.
Quisque suas hosti miles defendere partes
350 Intentus longo tutatur moenia conto.
Pars gladios stringunt manibus, pars tortile ferrum
Deiiciunt muro; contra stat inutile Marti
Lixarum servo permixtum milite vulgus,
Turribus ex altis deiecta trabalia passim
355 Tela volant minimis tundentes corpora frustis.
Cornua bis posuit, toties sua cornua sumpsit
Phoebe et iam malesuada Fames invaserat arcem.
Iam se, iam Temeson infestis hostibus arcem
Dedere curabant proceres, Bathoraeus Achilles
360 Ni solus dubiam promissis speque salutem
Firmasset vates.
Etenim durate parumper,
Inquit, et adversam constanti pectore sortem
Fatorum toleremus onus; non ira deorum
Sistitur excussis muliebribus ore querelis,
365 Nautica non prosunt fractae lamenta carinae,
Naufraga nec vanis mitescunt flamina votis.

Nunc instare manu, nunc totis viribus uti
Communi pro luce decet, succurrere velis,
Exhaurire fretum, subducere carbasa ventis,
370 Tendere sub portum et fido parere magistro.
His Stephanus dictis socios retraxit inertes,
Tales inde notas Budam transmisit et ipsos
Vellicat heroas mordaci plenus aceto:
Improba nobilitas, fomentum ignobilis oti,
375 Bis pro te cecidi, ter pro te vulnera sumpsi,
Flabra, nives, nimbos ferrumque ignemque lovemque
Sustinui et durae mortis sub faucibus haesi.
Hasne mihi grates, hoc muneris usque refertis,
Ingrati rerum domini? Nos hostis et arcis
380 Occlusi vallo, modo lux octava refulsit,
Nec minus esurie raucaque siti maceratos
Hos artus vitamque effeta in crate fovemus.
Nos pecudum in morem trepida formidine mortis
Angimur inque horas fatum crudele moramur.
Vos molles animis, vos ventres pigri et inerti,
Somno, luxuria, fastu pompisque sepulti,
Obruti avaritia, livoribus, ambitione
Discordes aliusque alium expectastis, ut hostes
Debuerint omnem regni extinxisse decorem.
390 Ut Boreae Boreas Euroque assibilat Eurus,
Crimine sic crimen, virtus virtute iuvatur.
Quodsi nec procerum nec te mea gratia tangit,
Saltim arcem miserare tuam patriique decoris
Si quid adhuc superest, plebeis eripe flammis.
395 Flamma recens raris aspersa extinguitur undis.
Dormitum satis est et ineptitum satis. Unis
Suppetiis vestris nisi iam occurratur et ipsa
Subsidia haud sero nobis mittantur, avarus
Ocius aetherea potietur rusticus arce
400 Explebitque altas nostro cum sanguine fossas.
Clara dies coelo nondum fugaverat astra,
Dum matutino sparguntur gramina rore,
Dum pictae querulantur aves; en semisopitus
Zeglius extremo non vana insomnia somno
405 Somniat et tristi singultus corde trahebat
Excitus. Haud fallit magni sententia vatis;
Maesta futurorum mens est praesaga malorum.
Taeduit hunc lucis, luxum choreasque iocosque
Spreverat et dulci spumantia pocula Baccho.
410 Itur venatum primoque in limite campi
Obvius arrectis stabat auriculis lepus — omen
Insanum — liquidas mox permutatus in auras.
Dum campis exercet equos — immane relatu
Prodigium — duo quippe lupi violenter adorti

415 Agmen et excepti telis ostenta futurae
Monstravere mecis: glutiti membra puelli
Utraque perfossis effudit belua costis.
Venatus curas animi mentisque merorem
Fert nemus ingeniumque levat leve murmur aquarum
420 Ipse tenens dextra lato venabula ferro
Et nemus umbriferum et saevarum nigra ferarum
Lustra petit saltusque audet penetrare repostos
Audet et a catulis impastam excire leaenam,
Enixam in stabulis ursam montanaque monstra.
425 Tres cervos totidemque apros per devia fixit,
Fixit fulmineum properantem ad vulnera pardum.
Oblitus spectri spoliisque oneratus opimis
Gestit et assuetis intra tentoria pompis
In mores iterum defluxit Sardanapalos;
430 Ut rudis inflatum premit utricularius utrem,
Ad buxi numerum saltus imitatus agrestes
Tellurem parili pulsat pede; mox Saliarem
Incidit in cenam reducesque iterare choreas
Instituit magnoque parat convivia sumptu.

LIBER V.

Franciscus Wardai praestans cognomine avito
Praesul, turrigeras Daci qui temperat urbes,
Phoebeis celeber studiis, cui docta Thalia
Composito dedit ore loqui, quo pectora regum
5 Mollescunt, bonus et pius extremam usque ad amussim;
Huic regnum, huic reges, huic Transilvania debet,
Namque suo innumeros contraxerat aere Quirites,
Bella manu gessit propria, punctum tulit omne
Omniaque emeruit placidae palmaria pacis;
10 Talibus invitat stimulis ad bella monarcham
Martigenam:
Nos a Temeso propellere plebem
Fasque deusque iubet; nam, si modo curvus arator
Ceperit hanc arcem, nihil illi obsistere credas;
Atria nostra ruent, nos fixi stipite in alto
15 Frustra neglectae querulemur tempora pugnae.
Ut mora damnosa est, sic, dum peiora timentur,
Est locus in voto; citius cingamur in enses,
Agmine terribili servilia castra petamus.
Vincemus, si non parti secura trophaei
20 Gaudia, quae multis damnosa fuere, sequemur,
Nam dubia incautam ludit victoria turbam.
Rex aliis non esse potest, quem non regit alma
Met ratio; pravis dominis tot paret, iniquos
Affectus quot habet; quando male parta frequenter

25 Haud bene dispereunt, veniunt abeuntque vicissim.
Ignavi ducis imperium durabile non est
Nec servat raptum magnis sine stragibus orbem,
Saevitia proceres, qui cives morte gubernat.
Dixerat et cunctorum animos promovit ad arma.
30 Iam pugnae cupidus dux agmina cingit anhela;
Impavido capiti galeam positurus ahenam
Ferratam forti thoracam in pectore, tergo
Nervosum clipeum detritis nexuit ansis,
Laeva nec a cetra nec ab hasta dextra vacabat. —
35 Magnanimi proceres instructi taliter ibant
Consertare manus; petitur sententia pugnae.
Plebei flagrare foci. Iam classica quartos
Excierant vigiles, cum castra Sapolia ad arcem
Themeson obsessis properant succurrere castris.
40 Vasta ubi graminei bucceta est cernere campi,
Plebs variis marcens epulis ignara futuri
Dum thiasisque chorisque vacat, fatalibus orsis
Oppipera in subitos convivia versa tumultus,
Inter vina crepant equites, prior ipse monarcha
Transilvanus adest homini deus, ocior Euro,
Magnanimus iuvenis, dux strenuus, acer Achilles
Rustica fulmineo petiturus castra volatu.
Huic ego non Paulos, Marium fortesque Metellos
Praetulerim aut magnum divinae stirpis Acesten.
50 Ante expectatum innumerae ad tentoria plebis
Bellatore invectus equo clavamque trinodem,
Herculis arma manu Herculea vibrabat et aestus
Et nitida crebros sub casside pertulit ictus,
Cuius ad adventum tentoria rustica nutant.
55 Consilii non tempus erat, non ullaque ferri
Spes aderat, subitus turbaverat omnia terror.
Obductis aer nebulis pice nigrior atra
Stabat et infausti monstrabat signa duelli.
Incustoditas Baccho regnante stativas
60 Intrat et in primo fixurus limine gressum
Quadrupedum sonitu et telluris pulvere multo
Proditus agmen agit, tentoria proxima radens
Classica signa vocat, claros iubet edere cantus. —
Threicias hiemes Nilo mutare volentes
65 Strymona missurae sub mollem longius austrum
Quot Palamedis aves una ire solent Argivae
Ordine litterulae, lituis tot cornua mixtis,
Tot cecinere tubae. Primo subit ordine quaestor,
Quem chalybe indutum saeptumque ingentibus alis
70 Ferratorum equitum, sternacem et in aere latentem
Cornipedem ut vidit plebs ad sua castra ruentem,
Cesserat alari victoria rustica ferro.

Nam pavor attonitos inopinus straverat hostes;
Diffugiunt, sua quemque tenet terroris imago;
75 Effractis ruitant castris discrimine multo,
Arte ducis nulla, stant omnia et omnis ad unum
Terga dat atque fuga sibi consulit hostis arator.
O famuli turpes, genus ignavum, pecus excors,
Non pudet ascitum sine vulnere mittere regem?
80 Zeglius ut vidit plebem fugisse fugacem,
Exanimis maesto fera pectore fata trahebat;
Dulcibus a mensis Mavortia versus ad arma
Infremuit timidus dedignatusque timere
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
85 Postquam inter saxum et sacrum sua vota iacerent,
Pallidior buxo, Sardis quoque amarior herbis
Arreptis armis medios lapsurus in hostes
Alipedem conscendit equum nec Marte sinistro
Forte duos uno cataphractos deiicit ictu.
90 Non plus sortis habet, quam qui temerarius olim
In patrios minxit cineres; ita fluctibus altis
Armatos inter cuneos compressus inermem
Immiti vultu iugulat, quem fertur in hostem.
Factus hebes gladius, fundendo sanguine priscum
95 Perdit opus, tactos frangit, non vulnerat, hostes
Magnanimus iuvenis, dux strenuus, acer Achilles.
Hunc petit educto mucrone, Sapolius heros;
Ceu tonitrus, caedis praesagus luctificus sol
Crudelem nigro pugnam pallore notabat.
Proh miser! indignum vindaci fronte furorem
Versat et excussam frameam, reliqua armaque toto
Corde agitat capuloque manus absente moventur.
Deturbatus equo sibi fata novissima tristis
Zeglius haud falsa promiserat alite; densis
105 Obruitur telis, quem non vicisset inaudax
Persa minis, virtute Alemannus, Graeculus astu.
Implicitus lassos contortis funibus artus
Insanit, luco velut atrox ursus opaco
Retia rara plagis aut altis saltibus actus
110 Trux aper effuso foedat virgulta veneno;
Sic fremit ore minax et firmos solvere nodos
Tentabat poenasque in aperta luce daturus
Angusta in fossa multo custode tenetur.
Distentum crassa magnum farragine corpus.
115 Robora multa premunt, multa strue membra recumbunt.
Mane erat, ignivomus claro dum lumine Phoebus
Castrorum vallos niveo penetraret amictu,
En scelerum Oceanus, quem dudum dira manebant
Supplicia, ex humili specu lictore cruento
120 Tractus anhelanti populo spectacula praebens

Suspicit astriferi spatiosa volumina coeli.
Post maestos gemitus suspiria crebra profundo
Corde vomens dixit:
Mors ultima linea rerum est.
Haec est summa dies, haec hora extrema diei,
125 Ultima sepositae caperem ne litora Thyles.
Si placitum est, quamcunque datis, modo, numina, mortem
Intrepidus constansque feram; nam cogere divos
Nemo potest, nulli non rumpunt dulcia Parcae
Stamina, sed forti pariter pavidoque cadendum est.
130 Tendendum, quo fata trahunt; sat magna peregi,
Pannoniae heroas domui patriosque tyrannos
Funditus extinxi. Quis me vel Marte vel arte,
Quis tantos meruit plebeo milite honores?
Quos pluris facio, quam ter Capitolia lentis
135 Scandere quadrigis, quam reges ducere captos.
Sidera dum coelo, dum terris laeta redibunt
Germina, dum surget mare fluctibus, arbore silva,
Perpes perpetua de posteritate manebit
Nomen et Hunnorum multa cum laude per orbem
140 Regulus agricolum cantabor, ad aethera fama
Evehar et nullo tenebris damnabor in aevo.
Vixi et, quem voluit, cursum, natura, peregi
Bellipotens. Non te, Fatum implacabile, culpo,
Quod peream, coeloque mori nil, Sors vaga, de te
Nec de te, Fortuna, queror; te inculpo, nefanda
Rerum Luxuries et iners Opulentia, nostrae
Causa necis. Tu, triste Nefas, tu, Lerna malorum,
Conflasti haec cruda crudelia fata ruina.
Terra, vale, nunquam repetenda, valete, triumphi!
150 Sic ait et multo spurcatas sanguine lictor
Detrahit exuvias et dextram torre perusto
Complet et ignitam regali fronte tiaram
Regis ad exemplar pompis regalibus ornat. —
Servilis belli emansor, desertor et erro,
155 Descito illudunt regi et lictore iubente
Lurida candenti distringunt tempora ferro.
Rupta volubilitas capitis latissima; perque os
Perque cavas aures, oculos naresque cerebrum
Non aliter, quam lac concretum vimine querno
160 Spissatusve liquor rari sub pondere cribri
Stillat et expressus per densa foramina manat;
Sic cerebrum ignita resolutum molle tiara
Defluit et putres maculabant ora fluores.
Turba ministrorum calamo invitata palustri
165 In numerum salit et regem desannat atrocem,
Quem ducis ad nutum stricto mucrone minantis
Nudato mox dente petunt lacerantque vorantque,

Divellunt truncos artus demorsaque mandunt
Viscera; Zeclaea saturati carne cruorem
170 Non citra suctum foedi sorbere ministri.
Carnificis epulis et foedo plena madore
Stabat monstrifico furialis mensa paratu.
En lacer, exanguis, vitam lucemque perosus
Proruit in terram moribundaque membra iacebant
175 Languida, dum tacitus vigor ad praecordia sensim
Serpsit, ut aestivum ad solem sitientibus herbis
Flaccescunt olerum caules, quos lapsa repente
De coelo pluvia et largi de nubibus imbres
Restituunt; rident silvae segetesque retonsae
180 Sponte virent, spirant revocatis floribus horti.
Sic, servate malis, multa perfusus ab unda,
Infelix Zegli, Stygio revocaris ab Orco. —
Mox pedibus nervos manibusque monarcha levari
Stuppea vincla iubet iussitque ligare refotum. —
185 Impia Dulichii redierunt saecula Ulixis,
Quum Laestrygonios verubus coxisse sodales
Plurima testantur veterum monumenta librorum.
Iam sol crescentes decedens auxerat umbras;
Dente lacessitum totum pro vulnere corpus,
190 Corpus quadrifidis aequandum quercubus atrox
Stravit humo lictor crassoque peruncta cruore
Inguina rimatur, corda et praecordia nudat.
Ossa ferus nodosa puer semesaque crura
Ictibus haud paucis cervicem et bracchia frangens,
195 Sic pereat, quisquis patriae intestina movebit
Bella, ait et lato saevum caput ense recidit,
Quod, tanto ut sceleri testesque fidemque referret,
Transfixum longa Segedinum fertur in hasta.
Dum caecam traherent obscura crepuscula noctem
200 Qua via declivis patulis tritissima portis
Mille capax aditus lachrimosa ad moenia ducit,
Zeglius infernas valido clamore sub umbras
Fulmineus trahitur; fragor et pavor impia complent
Tartara, quem torvo minitantem vulnere vultu
205 Attoniti nigro fugerunt agmine manes.
Pallor et atra Fames discissaque dentibus ora
Expers sub lucis regnum comitantur euntem.
Ut Styga traiecit limenque a corpore pressum est,
Ianitor inferni tria Cerberus extulit ora.
210 Constitit Ixion, lucrantur Belides undas,
Nocte satae Eumenides tortos de crinibus angues
Depexos fugiunt, Tityus laniata novenis
Viscera iugeribus, tu, Tantale, poma fugacis
Arboris oblitus neque saxum, Sisyphe, versas.
215 More parentali iustisque feralibus actis

Zeglius Elysias animarum praemia valles
Nosse cupit votisque suis ductore Charonte
Perfruitur lustratque nemus Iunonis Avernae,
Qua procerum vidit spatiantem per pia turbam
220 Prata, per et blandis depictos floribus hortos,
Mollia qua solvunt faciles violaria ocellos,
Qua rosa mitescit Sarrano pulchior ostro,
Qua vel odoriferae panaces, qua moly leguntur,
Flumina qua lactis, qua flumina nectaris ibant,
225 Qua vel amaracinum, styrax, opobalsama mella
Amne leves fundunt aura redolente susurros.
Hos inter nivea velatus tempora vitta
Nicoleos praesul Zachano sanguine natus
Ordine primitio incessit bellisque cruenta
230 Interfectorum servilibus agmina duxit.
Quae simul ut vidit, retulit gressusque pedesque
Zeglius et trepidos averso tramite calles
Horrendum per iter, per nigra crepuscula carpens
Fugerat et Lethes tacitum traiecerat amnem
235 Oblitusque viae superas evadere ad auras
Conatur frustra, quod inextricabilis error
Ex labyrinthiaca inflexarum ambage viarum,
Ni Iove dilectos, rarae et virtutis alumnos,
Non patitur quemquam reddi vitalibus auris.
240 Iure tribunali scelerosam commovet urnam
Quaesitor Minos et Gnosius hunc Rhadamanthus
Arbiter inferni subigebat cuncta fateri,
Quae miser in seram commissa piacula noctem
Distulerat; tenues sine corpore et ossibus umbras
245 Diris afflictas cruciatibus urget et inquit:
Hunc, qui Taenarios fuit ausus adire recessus,
Servilis belli auctorem patriaeque profanum
Hunc eversorem gravibus vincite catenis,
Cogite Cocyti sceleratas sumere poenas.
250 Nec mora. Discissi et laniati dentibus artus
Aeternis chalybum nodis artantur et alta
Sub Styge crudeles densantur in omnia poenae,
Quas nequeam linguis centum perstringere, quippe
Flammivomas Phlegethontis aquas saevamque mephitim,
255 Sulphura Tartareasque pices fert; ustus ab igni
Mergitur egelidum in stagnum rursusque sub ignes
Truditur et fibris Tityo de more renatis
Nulla quies; serpentinis sub dentibus artus
Elisi trepidant avidamque geruntur in alvum. —
260 Ut veteri in stabulo mala contignatio pingui
Lychnucho succensa vagos mutatur in ignes
Utque leves stipulae flamma accenduntur edaci,
Sic abit in flammas miserandus Zeglius et iam

Excoctus tremulis ad ahena undantia flammis
265 Ignis in igne ardet, quem non extingueret ingens
Ennosigaeus aqua lunaribus incrementis,
Augeat hanc quamvis auctamque coartet eandem.
Hactenus ancipitis discrimina tristia belli
Pendebant dubiisque volans Victoria pennis
270 Castra Colosbarios vastantia lustrat agellos.
Septima surgebant turgentis cornua Lunae,
Quando oriens Virgo Pisces descendere aquosos
Despicit et latas aequo libramine Lances
Submovet et fulvi protrudit terga Leonis.
275 En Leonardus adest, viceregulus, inclyta gentis
Gloria Barlabassiacae Siculosque rapaces
Attrahit in bellum nec inexpectatus in armis
Saxo venit. Sua per tentoria castra tuentur
Ruricolae atque omnes uno ore arma, arma tonabant.
280 Iam pugnae sua signa canunt; pugnatur utrimque
Fortiter et primae robusti Saxones alae
Permixti Vlaccis fato cessere cruento.
Dives opum, genere excellens, re et corpore magnus
Stans Draphius Ianus Iano cum compare Bamphio
285 Fraxineam validis crispabat viribus hastam,
Qua laterum cratem et dorsi internodia fregit.
En, ait, en adsum procerum saevissimus ultor;
Non mihi te velox sonipes, non castra nec arma
Caedibus eripient, propriae plebs prodiga vitae.
290 Illa nihil contra, sed prodigialibus ausis
Talibus immanes stimulis ardescit in iras.
Signifer agrestem super alto robore falcem
Arripit et densos fertur male sanus in hostes.
Qua nervosa pedum conscidit crura priorum
295 Bellatoris equi moribundo pectore duram
Pulsantis terram, Draphius collapsus ab hoste
Indomito et magnos et crebros sustulit ictus.
Hunc ubi plagatum multoque cruore madentem
Bamphius aspexit comes et iunctissimus illi
300 Gentilis, veri nec dissimulator amoris,
Non impune sinit socium cecidisse; citatum
Pulsat equum plebemque feram mucrone cruento
Propulit et, Mecum tibi sint certamina!, dixit.
Interim Ioannes Thornaio stemmate clarus,
305 Qui varia horrendi novit stratagemata belli,
Surripit exanguem Draphium raptoque frementem
Subdidit alipedem, renovata et proelia miscet.
Tum vindex Draphius plagas ulturus acerbas
Hostis in adversi latus immedicabile telum
310 Torsit et infausto pensabat vulnere vulnus.
Densius hiberna volitabant grandine tela,

Quae subito iactu vulgum fudere pedestrem.
Ille teres lignum longa sine cuspide traxit,
Hic resupinus humi pede proculcatur equino,
315 Alter pulsantes nodosi verberis ictus
Excipit ardenti clipeo, clipeo ille trementes
Defensando humeros Mavortia reprimit arma,
Pars periit iaculis per tempora pervia fixis,
Quae missa a laeva dextram penetrare per aurem.
320 Maesta Colosbariae confunditur urbis imago,
Plebeo clamore nemus montesque lacusque
Et Bromii colles et turbidi utraeque Zamosi
Praecipites ripae fremitu complentur inani.
Assimulare queas pelago, quod saeva quietum
325 Ventorum rabies commotis fluctibus urget.
Rustica flammivomis funduntur castra boardis,
Serviles cecidere manus, gratantur in urbe
Municipes et victori complexibus haerent.
Collectas belli servilis carcere caeco
330 Claudunt relliquias portentificisque reservant
Mortibus; hi contis, illi cecidere securi,
Pars super ingenti flagrant strue; sanguis inustus
Edidit horrendum sonitum bullasque per omne
Corpus agit, quales tacito super amne frequenter
335 Aethereus guttis reparat stillantibus imber.
Quale rubens igni ferrum, quod forcipe adunca
Dum faber extraxit lacubusque immisit, at illud
Submersum tepida stridendo sibilat unda.
Ossea candentes referebant membra favillas,
340 Caetera semicremis suspensa cadavera palis,
Turpe nimis visu, calidas torrentur ad auras.
Qua creber obscuros commixta grandine nimbos
Auster agit, surgunt iuga Dacica acumine celso
Fundentes vitreum Chrysam, qui valle reducta
345 Effluit et laeto Varadinum dividit alveo.
Qua fons illimis scatebris fumantibus auras
Calfacit et morbis medicamentaria praebet
Balnea, consultus quaestoris nomine Paulus,
Nobilitate potens Tomoreae stirpis origo,
350 Quantum Marte gravi, tantum sermone valebat,
Tutius esse ratus fictis contendere verbis,
Quam trepida pugnare manu, tum voce sonora
Plebeos cuneos mediis consistere castris
Iussit et incerti deponere proelia belli.
355 Ad quem Caesarea visi consurgere ab urna
Laeta Sigismundi cecinere oracula manes:
Si iuvat aeterno mortem praeferre timori,
Utere praecipiti pugnae cursu, velut olim
Caesar, qui magnum imperio subiecerat orbem.

360 Ultimus hic conflictus erit; servilia bella
Qui peraget, claris celebrandus ubique triumphis.
Interea ingentes duplici munimine surgunt
Nobilium fossae; socii solantur amati,
Ut placido vultu saevi certamina Martis
365 Pro se quique ferant; qua conditione et alendi
Armandique forent, facundo ex ore docentur.
Stellato superos iterum cogebat Olympo
Iuppiter et pugnam pugnaturasque cohortes
Centauris similes, similes Cyclopibus uno
370 Demonstrans digito placidis sic Pallada dictis
Convenit:
O sanctae moderatrix optima pacis,
Filia, supremis nisi mox medeare periclis
Agricolisque meis gratum latura iuvamen
Ad bellum tendas; actum est de plebe misella,
375 Quae mea sacrato celebrat solennia ritu,
Quae Bacchum et Cererem observat, reveretur, adorat.
Dixit. At hunc contra sic est affata Minerva:
Alme parens, nec, si fusam fractamque viderem
Hanc plebem, ferrem auxilium, quod perfida nostras
380 Non tam contemnit, quam spernit turpiter artes.
Ante retro praeceps Athesis fluet et sine fronde
Hercynium stabit nemus Argivique Latinis
Praesidium ante ferent, quam nostra vivet opella
Rusticus asperior tribulis, fallacior undis.
385 Crimina nil prodest scelerosae discere plebis
Sacrilega patrata manu, nam tu omnia solus,
Quae sunt, quae fuerint venturaque singula nosti.
Finis erat dictis. Densis comitata dearum
Iuno chóris tali compellat voce tonantem:
390 Si propriam lento pede vis agnoscere multam,
Fac, habeat dignas mihi facta iniuria poenas,
Nam templis legata meis legere sigilla,
Lampada, campanas, calices, gutturnia, mappas,
Vexilla et pateras et pulvinaria, lances
395 Atque arae induvias et tintinabula, acerras,
Summatimque uno complectar ut omnia verbo,
Nulla malam plebem nostri reverentia tangit.
Coniugis ergo preces et iussa sororia fidis
Auribus exaudi et communibus annue votis,
400 Annue, quo tecum pugnas spectemus ab alto
Aethere, ut horrendi belli temerarius auctor,
Contemptor superum caedisque avidissimus atrae
Rusticus his procerum levibus fundatur ab alis.
Iuppiter hanc contra:
Castae dulcissima taedae,
405 Rite mones, coniunx, neque enim lex aequior ulla est,

Quam necis artificem propria succumbere ab arte,
Ut deus assensit placatoque annuit ore,
Ecce monarcha venit, venit Albae Transilvanae
Magnanimus praesul; properantibus undique signis
410 Turba ruunt, castris fera belli signa ferentes
Praecones; pugnae sonitum tuba triste canora
Increpuit. Tum siderea de sede supremus
Iuppiter atrocis memorem Iunonis ob iram
Concitus intonuit cladis portenta futurae.
415 Territa monstrifico signo plebs foedera pacis
Firma pacta manu servari infecta precatur:
Heu, quibus insidiis, qua nos circundedit arte
Perfida nobilitas! Dum falso parcere fingit,
Induit hostiles animos. Credibile dictu est,
420 Nulla viros pietas Mavortia castra sequentes,
Nulla fides et nulla manet frons iuris et aequi.
Pax et lex illis tam longe est, quam vaga distant
Astra solo vel flamma fretu. Facere omnia saeve
His impune licet, qui cruda ad bella parati
425 Vulgus inerme petunt.
Plebs improvisa futuri
Congressus saevo Mavorte infausta gerebat
Proelia et extremae iusta exequialia pugnae
Praebuit et finem posuit servilibus armis.
Tantae molis erat patrias delere procellas.
430 Rosida septenis complebat cornibus orbem
Luna, ubi Tartesias moriens Astraea sub undas
Occidit et ramos pomis Pomona gravatos
Suffulcit furesque timens pomeria claudit,
Ariete Phrixeo nihilum provectior orta
435 Libra diem noctemque pares partitur in horas,
Cum sua ab arboribus labuntur poma recussis,
Cum nova calcatis distillant prela racemis.
Tardigradus curva Saturnus falce relicta
Coniferam impavido galeam deponere Marti
440 Suaserat et blandis exarmat Pallada dictis,
Quae persuasa suum divumque hominumque parentem
Pulsat et immanem Iovis iram talibus orsis
Placabat votoque suo fruitura perorat:
O et qui coelum, o et qui cuncta gubernas,
445 Praecipuum paci numen, te praeside toti
Dependent mundo lis et pax, mel velut et fel.
Pace opus est; dudum bellis servilibus arva
Ungara depopulata gemunt; sunt omnia caedis
Plena; lacus, amnes silvaeque agrique viaeque
450 Turpe cadaver habent, vitiantur odoribus aurae.
Nam, quacumque acies oculorum flexeris, haerent
Affixae sudibus turbae, ceu squamea apertis

Ponticus in mattis contorret monstra colonus,
Da placidam pacem, posita nam casside Mavors
455 Hanc rogat imbellis, rogat hanc Saturnus inermis.
Annuit astripotens variamque coloribus Irim
Udo de coelo descendere limite curvo
Mandat et Hunnorum sua iussa referre per aures.
Illa agiles induta alas non segnius explet
460 Idaeum imperium, cuius sic nuncia defert:
Qui superas arces, qui mundi regna triformis
Temperat et sanctis moderatur legibus orbem,
Tempus adest, inquit, quoniam certamine multo,
Quae paene interiit, reditura est Pannoniae res.
465 Pax erit et posito mitescent tempora bello,
Prospera defessis nascentur saecula terris.
Iam tellus communis erit, iam limite nullo
Discernetur ager, qui curvi vomeris expers
Sponte sua passim subitas producet aristas.
470 Attica Pannonicis quercetis mella legentur,
Vina fluent oleique lacus, stagnantia lacte
Flumina mutabunt undis albentibus Istrum.
Sic ait et magnam magnae Iunonis ad aulam
Missa nube cava croceis traducitur alis.
Vos precor, o divi reges et coelica regum
Numina Pannonios inter sacrata penates,
Annuite et nostris placidi subscribite votis!
Vestra stirpe sato Lodovico terreus orbis
Pareat et vasti circumflua litora ponti
480 Regnaque, quae felix nimium Titanius ales
Incolit et reparabilibus terit artubus aevum,
Oceanumque ultra dominetur transque remotas
Tethyos ambages Atlanteosque recessus.
Imberbes iuvenes aequaevi principis annis
485 Exultant et decrepiti sua tempora temnunt
Et matura viris, cunctis sua displicet aetas.
At vos, fatales hominum tria numina Parcae,
Ducite concordi regalia stamina fuso.
Ferrea, concesso, Lachesis, tum iure fruaris,
490 Quum natura sagax mutato foedere mundum
Formet, ut arctous sitientes irriget Afros
Odera vel priscis refluas concursibus undas
Arte viri domitae Symplegades elidescant.
Aut niger e solida glacie damnabitur Indus
495 Aut Sol occiduis inversus surgat Iberis
Declivemque polus sublimior induat austrum.
Tandem deserto, quem temperet, orbe coruscis
Accedat stellis faveatque precantibus absens
Plurima Nestoreae transgressus saecla senectae!

Tempus hominibus coticula.

C) MARGINALIA

LIBER I. 4. Permessis flu. 7. Parnasus. Hyantes. 10. Eumenides. 11. Invocatio. 23. Megaera. 27. Responsa Megaerae. 30. Saturni sidus quid? 37. Iovis et Martis coniunctio. 42. Solis deliquium. 48. Cometes. 49. Inauspicatarum avium auguria. 55. Apostrophe ad homines. 58. Ad aurum. 66. Avaritiae propria. 69. Tantali labor. 71. Imprecatio Megaerae in argyrophilos. 72. Midas. 80. Thomas cardinalis Strigoniensis. 82. Byzantium. 86. Genii ad cardinalem exhortatio. 95. Roma. 105. Iulius 2. pontifex. 110. Poeni. Mauri. 111. Quinque Danubii ostia. 118. Iulii 2. mors. 121. Leo papa X. 122. Maia. 124. Medicorum familia bonarum literarum. vindex unica. 133. Orion. 136. Hodoeporicon. 138. Nar flu. 140. Cataractae. 142. Narnia. 144. Tusciae situs. 147. Loreti sacellum. 149. Ancona. 150. Chimerinus. 151. Reverendissimi domini legati nauplia. 157. Antennae. 159. Carniolae. Histri. 161. Illyrici. Liburni. 165. Segnia. 173. Ungaria. Leo. 174. Lyra. 175. Savus. 176. Dravus. 178. Strigonium. 181. Budae descriptio. 187. Arcis regiae designatio. 198. Thermae Budenses. 203. Reverendissimi domini legati ingressus. 211. Divae Margarithae insula. 213. Serenissimi regis Lodovici indoles. 220. Regis Lodovici obviam itio. 227. Selingus. 228. Moravus. 229. Boiemus. 230. Reverendissimus dominus Gregorius de Frangapanibus archiepiscopus Bachiensis. 237. Reverendissimus dominus Iauriensis. 239. Reverendissimus dominus Stephanus episcopus Nitriensis. 241. Nitria. 242. Reverendissimus dominus Vaciensis Ladislaus Zalcanus. 248. Reverendissimus dominus Michael Keserew episcopus Boznensis. 251. Hippomachia. 256. Coitio regis et legati. 263. Reverendissimus dominus Georgius episcopus Quinque Ecclesiensis regni cancellarius. 276. Eiusdem reverendissimi domini Quinque Ecclesiensis oratio. 293. Arganthonius. 294. Pylius Nestor. 295. Sibylla Cumana. 301. Reverendissimi domini legati responsum. 316. Serenissimae dominae Annae regis filiae forma. 322. Serenissimi regis Vladislai super legati reditu congratulatio. 328. Cruciatae promulgatio. 338. Monstra futuri mali. 345. Georgii Zeglii ad Budam adventus. 349. Eiusdem Zeglii prosopopoeia. 360. Pactolus flu. 361. Tartesia. 362. Tagus flu. Croesus. Crassus. 369. Tria amicorum paria. 378. Comparatio. 381. Georgii Zeglii cohortatio. 391. Persuasio. 411. Hebrus flu. 413. Confirmatio contionis. 419. Eiusdem exaggeratio. 426. Veris descriptio. 435. Iovis ad coelum contio. 438. Mercurii periphrasis. 445. Consus ad Iovem. 449. Gigantomachia. 455. Nuncii ad Budam transmissio. 459. Teloneorum et telonum depopulatio. 467. Dalmata. 468. Triquetra Sicilia. 471. Herculeae columnae. 473. Circius ventus. 475. Rhodos. Creta. Cyprus. 488. Reverendissimus dominus Petrus Beryzlo episcopus Vesprinniensis. 497. Eius-

dem reverendissimi domini epistola epiphonemicos. 512. Ad reginam Plutonis coniugem allusio. 516. Fortunae idea. 520. Croesus. 521. Irus. 522. Nosce teipsum. 527. Nireo formosior Narcissus. 534. Tibiscus flu. 545. Homoeon adagium.

LIBER. II. 1. Serenissimi regis Vladislai edictum. 9. Parabolae. 12. Strigon flu. 21. Vladislai regis contio. 32. Eiusdem persuasio. 41. Symmetrismos. 47. Comitia. 53. Veternus. 57. Budensium viridariorum, lilietorum descriptio. 61. Palaestricorum exercitatio. 66. Sphaeromachia. 71. Praestigiatorum professio. 82. Zeglii oratio. 88. Eiusdem confirmatio. 90. Allegoricos. 97. Historia mundi informis. 102. Adam. 103. Eva. 109. Veterum Romanorum catalogus. 115. Epithesis in proceres. 120. Myrrha. 124. Excursus. 131. Clitorius fons. 133. Murrha. 134. Phasiaca avis. 137. Chironomia. 139. Chironomus. 152. Ciceronis verba. 154. Gynaecium. 161. Comici dictum. 162. Anacephaleosis. 168. Confirmatio. 170. Symmachia. 175. Pragmata. 189. Hebrus flu. 190. Hydaspes flu. 191. Borysthenes. Baetis. 192. Ganges. 193. Erythraeum mare. 199. Stauromachiae vita. 209. Metaphora a satis. 216. Nerones. 218. Chronographia. 223. Castrametationis designatio. 226. Nilus flu. 228. Magnifici Stephani Bathori armatura. 234. Eiusdem ad Martem homoeosis. 243. Cruce signatorum panoplia.

LIBER III. 2. Chenadinum. 3. Nicolaus Chaky episcopus Chanadinus. 11. Facies pugnae contra cruciferos. 29. Portenta coelitus ostensa. 42. Altera manuum consertio. 54. Cruciforum fuga. 56. Meleagria. 57. Zenobia. 61. Tertius cruciferorum conflictus. 79. Stephani Bathori collapsus. 85. Chronographia. Hyades, Olenia sidus. 93. Molossus canis. 107. Historia. 111. Altera historia. 117. Nicolai episcopi apologia. 136. Zeclii responsio. 138. Nicolai obiectio. 146 Exclamatio eiusdem. 150. Parabolae. 158. Nicolai episcopi interitus. 173. Varia funerum forma. 183. Ab apibus sumpta metaphora. 190. Contra transfugas. 195. Agria flu. 197. Agria oppidum. 198. Aestatis descriptio. 204. Agriensis arcis situs. 208. Reverendissimi et illustrissimi domini cardinalis Aestensis genselia. 213 Ioannes Bonzagnus gubernator Agriensis. 230. Magnifici ac spectabilis domini Emerici de Peren regni Ungariae palatini contio. 233. Aerarium. 242. Eiusdem domini palatini epiphonema. 245. Savoni 247 Carni et Stiri. 251. Vienna Austriae. 254. Invictissimi Maximiliani Romanorum imperatoris triumphi. 261. Poloni. 262. Prutheni. 263. Istula flu. 266. Rhetia. 267. Helvetius. 268. Rauracus. 269. Suevi. 271. Boi. Praga. Boemi. 272. Albis flu. 274. Morava flu. 275. Marcomani. Olomuntia civitas. 277. Hussitae scismatici. 278. Tartarus. Moschus. 279. Scythae plaustriferi. 281. Argolici. Sergi et Sarissae. 282. Parthi. 287. Adhortatio. 302. Exauctorari. 304. Apostrophe ad Ungariam. 308. Ad superos apostrophe. 316. Adagium. 320. Allegoricos. 328. Cremnicii oppidi descriptio. 333. Comparatio. 340. Epicurus.

LIBER IV. 7. Reverendissimi domini legati oratio. 13. Apostrope ad socordiam 19. Boreas. Notus. 21. Tigris. Euphrates. 29. Regni Ungariae primordia. 32. Attila. 34. Scaldes, Moenis flu. 35. Britanni. 36. Coloniae periphrasis. 37. Moschi. 38. Thurcae. 40. Parthi. 42. Rhodanus flu. Rhenus flu. 44. Scoti. Sicambri. 46. Sarmata. 59. Hypermete. 67. Intemerata virgo Maria dei mater, Ungarorum patrona. 70. Divus rex Stephanus patronus. 76. Perorationis comprobatio. 80. Ab Italia. 81. A Troia. 82. Ab astris. 84. Ab expugnato Iove. 87. Bela rex. 88. Daci. 89. Marisus flu. 90. Sargetia flu. 92. Decebali mors. 94. Salatna. Alba. Zarmiz. Abrugibayna. 95. Traiani pons. 102. Adhortatio. 114. Panoplia levis armaturae. 119. Expeditio militum. 123. Paesti oppidi topographia. 132. Temporis descriptio. 136. Ioannes Bornemyssa dux. 139. Eiusdem ad milites contio. 152. Ausonii sententiae. 157. Cruciferorum apologia. 181. Duodecim agricolarum numina. 185. Vectigal. 188. Magnifici domini Bornemyssae responsio. 194. Stentorea vox. 202. Pugnatur. 217. Portumnus. 219. Glaucus. 226. Miscere sacra profanis. 244. Regis Vladislai commiseratio. 253. Symmetrismos. 267. Eiusdem ad campiduces apostrophe. 281. Ophites. 284. Hellespontus. 285. Ionium mare. 295. Lipare insula. 297. Brontes. Steropes. Pyracmon. 299. Parabolae. 302. Altera parabola. 304. Tertia. 307. Moesiae depopulatio. 312. Sergiaci coloni. 315. Soerinium. 317. Heraclii Romanorum Caesaris cum Chosroe Persarum rege pugna. 319. Temeson. 330. Gigantomachia. 332. Pugnatur ad Temeson. 340. Troia. 341. Trebia. Saguntum. 357. Famis et inediae miseria. 361. Magnifici domini Stephani Bathoraei consolatoria contio. 374. Eiusdem epistola. 401. Aurorae periphrasis. 407. Virgilii apophthegma. 410. Ex adagio: Inauspicatum iter obvius facit lepus. 414. Prodigium. 418. Venatio. 427. Spectrum. 429. Sardanapalus.

LIBER V. 1. Reverendissimus dominus episcopus Transilvanensis. 11. Eiusdem oratio ad wayvodam. 29. Nobilium bellantum armatura. 37. Vigiliarum designatio. 44. Monarchae pugna. 48. Pauli, Marii, Metelli 49. et Acestes. 64. Nilus. 65. Strymon. 68. Quaestoris armatura. 78. Apostrophica inclamatio. 86. Zeglii spem desperati facies. 89. Cataphracti. 96. Spectabilis domini vayvodae congressus. 106. Persa. Alemannus. Graeculus. 116. Illucescentis diei periphrasis. 123. Georgii Zeclii peroratio. 143. Ad Fatum apostrophe. 149. Ad Tellurem vale ultimum. 152. Hypallagicos. 154. Emansor. Desertor. Erro. 159. Ab presso lacte parabolae. 176. Parabole ab imbribus desumpta. 183. Georgii Zeclii ex vinculis eliberatio. 186. Laestrygones. 188. Occidentis diei circumscriptio. 198. Segedinum. 202. Georgii Zeclii ad inferos descensus. 208. Carceris Tartarei facies. 209. Cerberus. 210. Ixion. Belides. 211. Eumenides. 212. Tityus. 213. Tantalus. 214. Sisyphus. 216. Georgii Zeglii ad Elysium progressus 220. Elysii forma. 223. Panaces. Moly. 228. Reverendissimi domini episcopi Chanadiensis

umbra. 231. Georgii Zeclii transfugium. 234. Lethe flu. 237. Labyrinthus. 241. Minos iudex. Rhadamanthus arbiter. 246. Minois contio. 254. Georgii Zeclii poenae. 260. Comparatio ab veterum aedium conflagratione. 266. Ennosigaeus. 269. Dubii Martis periphrasis. 270. Colosbarium. 272. Autumni circumscriptio. 275. Leonardus Barlabassius vicewayvoda. 278. Saxo. 280. Belligeratur. 282. Vlacci. 284. Magnificus dominus Ioannes Draphy. Ioannes Bamphy. 275. Illius acclamatio. 296. Magnifici domini Draphii lapsus. 299. Magnifici domini Ioannis Bamphii pro Draphio pugna. 304. Egregius dominus Ioannes Thornay. 308. Repetitur pugna a Draphio. 311. Pugnae facies. 320. Colosbarium oppidum. 322. Zamosus flu. 326. Cruciferorum interitus. 333. A bullis parabolae. 336. A ferro candenti. 343. Topographia. 344. Chrysa flu. 345. Varadinum. 348. Eximius dominus Paulus Thomori. 356. Sigismundi Caesaris umbra loquitur. 367. Iovis optimi maximi comitia. 371. Eiusdem adhortatio. 378. Palladis ad Iovem apologus. 381. Athesis flu. 382. Hercynia silva. 385. Confirmatio. 390. Iunonis ad Iovem oratio. 396. Anacephaleosis. 417. Cruciferorum ad semetipsos verba. 430. Impacati temporis annumeratio. 432. Pomona. 435. Aequinoctii autumnalis descriptio. 438. Saturni ad Martem consultatio. 444. Minervae ad Iovem. 454. Eiusdem peroratio. 456. Iris pacis nuncia. 457. Antiphrasicos. 461. Iridis nuncium somatopoeiacum. 475. Auctoris ad divos Ungariae reges obsecratio. 489. Lachesis. 492. Odera. 493. Symplegades. 494. Indus. 495. Iberi. 496. Auster. 499. Nestorea senectus.

D) INDEX ABCDARIUS

in quinque Stauromachiae libros suis cum adnotationibus secundum inter se seriem literarum redactus pio lectori non usquequaque defuturus.

De litera A.

1

Aaron penes Hebraeos summo sacerdotio dignus habitus est, 2 cuius virgam floruisse tam veteris quam novi instrumenti testimonio comprobatur et in sancta sanctorum miraculi loco repositam fuisse. Perlege epistolam divi Pauli ad Hebraeos cap. 5. 6. 7. et 3 nono. Nobis hac voce uti contigit epitheticos in reverendissimum dominum dominum Thomam de Erdeud cardinalem Strigoniensem apostolicae sedis de latere legatum. Lib. 1. vers. 82.

Abrugibayna Transilvaniae dives auro oppidum, in cuius cir- 4 cuitu montes sunt mira quadam felicitatis abundantia usque adeo cumulati, ut solertis naturae thesauros et imperatoriae cuiusdam maiestatis nequaquam deficiens aerarium dici iure possit. Nam 5 istic obrizum aurum patulis de montium verticibus frustulatim praeciditur, subter quorum valles vitrei amnes decurrunt, plures eo loci chrysolapides in opulentis ac crebris chrysoplysiis, id est, auri lavacris inveniuntur. Abrugibayna autem Romanorum olim colonia fuit, 6 quantum ex infrascripiti eulogii coniectura assequi possumus in altari aediculae supra oppidum nuper inventi:

D. M.
CASSIAE PEREGRINAE
INTEGRAE.
VIX. AN. XXVII.
F. BISIVS SCENOB.
SARD. CONIVG.
B. M. P.

Agria Pannoniae inferioris oppidum ab Agria fluvio non magno 8 nomen sumpsit et se et vallem amoenissimam suo amne perluente. Is trahit ortum ex fontibus ad pedem Carpathii montis scaturientibus, de quo suo loco inferius. Neque longe sub Agria Tibiscum influit. Quaere lib. 3. vers. 197.

Alba Iulia civitas Daciae et in eius meditullio sita ab diva 9 Iulia Aug. matre divi M. Aur. Antonini Pii Aug. imper. cognominata. Argumento nobis est epitaphium vetustissimum in marmore exculptum et a pientissimo optimoque praesule Ladislao Gereb olim felicis memoriae episcopo Transilvanensi divi Michaelis archangeli foribus intersertum. Eius verba nobis non abs re placitum erat his adnotationibus adscribere:

I. O. M. ET IVNONI REGIN. 10
PRO SAL. IMP. M. AVR. ANTONINI
PII AVG. ET IVLIAE AVG. MATRIS AVG.
M. VLP. MVCIANVS MIL. LEG. XIII.
GEM. HOROLOGIAR. TEMPLVM
A SOLO DE SVO EX VOTO
FECIT. FALCONE ET
CLARO COSS.

Est et Alba Pompeia, item Alba Hispaniae, Galliae ac Alba Longa 11
oppidum, fluvius quoque. Vide Pli. lib. 3.

Albis clarissimus Boemiae fluvius, quam ab austro fluens in 12
arcton fere mediam dividit. Auct. Strab. lib. 1., Pli. lib. 4. cap.
14. et lib. 9. cap. 3. Pluribus agit Luca. quoque: Fundat ab ex-
tremo flavos aquilone Suevos Albis etc. Nos libro 3. vers. 272.
Strab. lib. 7. scriptis mandavit Romanos Albin ipsum non tran-
scendisse, qui duo in spatia Germaniam dividit.

Alemani Galliae populi habitantes iuxta lacum Lemanum Ge- 13
bennae monti vicinum influentem in Rhodanum. Vide Pli. lib. 3.
cap. 4. et lib. 6. cap. 10. Idem de monte Gebenna lib. 4. cap. 17.
Est autem Gebenna mons Galliam mediam fere disterminans. 14
Pomp. Mel. lib. 2. cap. 5. de Gallia: Gallia Lemano, inquit, lacu et
Gebennicis montibus in duo latera divisa. Alber. tamen Magnus
Lemanum lacum Germanorum esse tradidit vulgi opinionen secu-
tus. Quare ex communi usu loquendo Alemannos Theutones appel- 15
litamus. Sed et Claud. auctor recentior idem sentit: Haec Aleman-
norum spoliis australibus, illa Ditior exuviis. Hinc Alemannia pro-
vincia Alemannorum. Idem: Imploratque tuum supplex Aleman-
nia nomen. Hunc nos secuti sumus lib. 5. vers. 106.

Attila primus Hunnorum dux e Scythia veniens Pannoniam 16
imprimis, deinde Italiam, Galliam Germaniamque igni tamen abs-
tinens Marte subiecit et diripuit subversa funditus Aquileia nobi-
lissima quondam Romanorum colonia et a Romanis teste Strabone
lib. 5. condita incumbentibus imposita barbaris, quam Timavus
fluvius alluit. Mar.: Et tu Ledaeo felix Aquileia Timavo. De victo- 17
riosissimis Attilae gestis Paul. Diaco. in cap. lib. XV. Romanorum
gestorum plurima et notatu digna commemorat. Nos partem ma-
gnam ex eo mutuati sumus lib. 4. vers. 32. Sed et Nicomachus 18
Istieus Graecarum historiarum scriptor Attilam cruentatis oculis,
parvo pectore, sed, quem totus mundus timuerit, heroa fuisse de-
scribit, verum haec Graece melius. Attilus Padi fluvii piscis esse
ertur, cuius Pli. lib. 9. cap. 16. meminit.

De litera B. 19

Balabassiorum familia nobilis et antiquae stirpis hac tempe- 20
state Transilvanis notior, quam ut origo eius ab ovo gemino ordia-
tur. Legito lib. 5. vers. 276.

Bathoream progeniem baronum atavo sanguine multisque 21
heroicis olim gestis insignem fuisse et esse Pannoniorum chronica testantur. Adde lib. 2. vers. 228.

Byzantium Thraciae seu, ut iuniores in monumenta redigerunt, 22
Misiae inferioris urbs clarissima quondam a Spartanorum rege Pausania condita. Pli. lib. 4. cap. 11.; Strab. lib. 12.: A laeva, inquit, iacent ea, quae Byzantio sunt contigua et a Thracibus habitata. Pomp. Mela lib. 1.: In Bosphoro, ait, Byzantium. Hinc Byzan- 23
tinus, a, um. Nos lib. 1. vers. 82. Istinc Byzantiacus et Byzantius, a, um. Claud.: Byzantia robur Fregit luxuries. Tandem a Constantino Constantini imperatoris ex Helena filio adaucta et imperii gloria donata. Constantinopolis ex Byzantio dicta fuit sepulto ibidem 24
Constantino eius instauratore. Iustinianus imperator inter Constan. ipsi domino, qui est sapientia dei patris, templum construxit, quod Graece Agiam Sophiam, id est, sanctam sapientiam nominavit, cuius opus adeo cuncta aedificia excelluerit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non potuerit inveniri. Sed exigentibus forsan sceleribus Byzantinorum anno MDXII. moles illa vere Caesarea terrae motu funditus corruit. Haec eam ob rem ceu parerga adscrip- 25
simus, quo communis vulgi erroneam opinionem detegeremus, saltim si eam abrogare non datur. Neque solum plebs literarum ignara aberrat, sed etiam illi, qui se veritatis professores esse gloriantur asseverantes templum illud Sanctae Sophiae mulierculae cuidam dicatum fuisse, cum tamen Paul. Diaco. certissimus auctor in vita Iustiniani Christianissimi imperatoris lib. duodevigesimo aedem illam dei filio, qui a summis theologis dei patris sapientia appellatur, et construi et cognominari iusserit. Apud Graecos Byzantion per ypsilon scribitur, Latinis utrumque usurpatum invenimus. Lege Eutrop. in Constant. vita.

Boemi sive, ut Tacitus loquitur, Boiemi a Bois dicti nemora- 26
les Germaniae populi, utputa qui silva Hercynia tanquam muro cinguntur; est enim Boemia cor Germaniae et meditullium. Perlege Aeneae Sil. Pii secundi pont. max. Cosmograph., ubi pluribus. Nos libro 1. vers. 229.

Boi antiquissimi Germaniae populi inter Vindelicos, Noricos, 27
Boiemos et Rauracos siti. Pli. lib. 4. cap. 18. Eutrop. de Catilinae coniu. Expugnavit namque Rauracos et Boios, ex quibus 47 mil. perempta sunt, caetera effugerunt. Nostra aetas Boios Bavaros appellat, videntes autem nomen sumpsisse Boi a boia vinculum pedum seu nervum significante, huc alludens Plaut. inquit: Boius boiam terit. Nos lib. 3. vers. 271.

Bornemyssa, ut verbum verbo reddam, cognomentum est Pan- 28
nonico sermone abstemium significans. His enim bor vinum, nem non, yssa bibit dicitur. Adde lib. 2. vers. 136. Est autem Ioannes Bornemyssa baronum stirpe satus, cui nihil antiquius, quam commissum sibi regem regis filium serenissimum principem et dominum dominum Lodovicum Ung. et Boemiae etc. monarcham bonis instituere virtutibus ac ab illius conspectu ne per transversum quidem unguem discedere debeat.

Buda metropolis Pannoniae inferioris sede regia et externa- 29
rum mercium emporio insignis. Hanc lib. 1. vers. 181. descripsimus.

De litera C. 30

Cetius mons ubi et qualis sit, consule dictionem Noricum infra 31
suo loco.

Chrysa mas. generis fluvius ex Dacicis iugis Pannoniam con- 32
tingentibus effluit, qui ex re nomen sumpsit, quod auro abundet Graecis chryson appellato. Vide Strab. lib. 13. circa medium. Ab accolis Chreysch dicitur. Abundat nobilissimis piscibus fudulis, salaribus seu, ut vulgus loquitur, trutis, cephalis sturionibusque. Est et eius nominis insula ad Taurum promontorium, quod Tau- 33
rus Indiae mons attollit aurei soli Pomp. et Pli. lib. 4. cap. 12. testimonio. Est insuper Chrysa oppidum Phrygiae secundum alios Troade prope Lemnum Apollini sacratum. Ovid. lib. 13. Meta.: Me Tenedon Chrysenque et Cillan Apollinis urbes. Et item fluvius agri Syracusani. Nos lib. 5. vers. 344.

Colosbarium civitas Transilvanensis murorum ambitu forin- 34
secus, quam aedificiorum intrinsecus exstructorum pulchrior. Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt. Iudicem iuratosque cives alternis vicibus quotannis seligunt, hi Hungarum, illi Saxonem suos quique senatores salutant. Nos lib. 5. vers. 320. Ad portam Ponti- 35
nam civitatis eiusdem visitur hoc epigramma:

I. O. M.
TAVIANO PRO SALV. IMP. ANTONINI
ET M. AVRELII CAES. GALATAE
CONSISTENTES MVNICIPIO
POSVERVNT.

De litera D. 36

Dacia olim, modo Transilvania, quondam bellipotens regio 37
plagae orientali exposita Marte multi nominis fuit, cui Decebalus rex tam armis quam pecunia belli nervo strenue praefuit. Eutropius libro 9. in Aurelia. vita: Provinciam, inquit, Daciam, quam Traianus ultra Danubium fecerat, intermisit appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit et est in dextra Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in laeva. Decebalus itaque eius 38
regionis monarcha cum Ulpio Traiano Romanorum Caesare conflixit ingenti hostis edita caede. Nam ubi ligamenta Romanorum militum vulneribus deessent, Traianus propriae vesti non pepercisse fertur, quam in lacinias concisam servitiis partitus est militibus suis. Deinde iugum ex iugo captans ad Dacorum regiam evasit. Proculsus Decebalus ad Traianum deductus impetrata prius ab illo venia eundem humi procumbens suppliciter adoravit. His confectis Traianus in Italiam rediit, Romam ingreditur et ex eo Dacicus appellari coepit Interea denunciatur Decebalum praeter

conventiones et foedera multa ad rebellionem spectantia parare et facere. Ob haec iterum hostis a senatu iudicatus fuit bellumque Traianus suscepit. Pli. de Dacorum expulsione meminit lib. 4. cap. 39
12. Construxit pontem in Istro lapideum opus sane mirandum et maxime memorabile, cui caetera illius opera vix adaequare possent. 20 stabant ex quadrato lapide pilae, quarum altitudo 150 pedum praeter fundamenta habebatur, latitudo 60 pedes continebat. Distabant inter se 180 pedibus, fornicibus vero coniungebantur. Eius 40
pontis epigrammataria inscriptio talis erat:

PROVIDENTIA AVG.
VERE PONTIFICIS. VIRTVS ROMANA
QVID NON DOMET. SVB IVGVM ECCE
RAPITVR ET DANVBIVS.

Hunc pontem nos lib. 4. vers. 96. depinximus. Caeterum Adri- 41
anus imperator Traiani successor veritus, ne pulso Romanorum praesidio aut oppressis legionibus ferae et indomitae gentes facto aditu ea loca invaderent, quae cis Danubium sunt, structuras et fornices, quantae super aquam eminebant, demoliri iussit. At Decebalus, cum capta (ut praefati sumus) regia vicina omnis regio in potestatem Romani populi venisset, usque ad captivitatem periclitatus mortem sibi conscivit. Traianus Daciam in provinciam redegit. Ea tota altissimis Alpium iugis cincta est, unde Mar. in Fusci 42
Caes. Domit. castrorum ducis epita.: Grande iugum domita Dacus cervice recepit. Stat. Papi. in equum max. Domitia. Caes.: Attoniti vidit domus ardua Daci. Hinc Dacicus, ca, cum, ut Dacica iuga, Dacica arma. Claud. in paneg. sexti consul. Honor.: Dacica bellipotens quum fregerit Ulpius arma. Nos lib. 4. vers. 18. Iuve.: 43
Lance beata Dacicus. Dives auri, argenti, agri, vinetorum, pecoris, salifodinis, ex quibus Ungariae regi pecuniosum quotannis vectigal penditur. In summa nihil non habet minus, quam politiam et aeris temperiem.

Dantiscum Pruthenorum metropolis. Vide vocem Rutheni suo 44
loco positam.

Danubius, ut veterum chronicorum cosmographorumque dis- 45
crepantes opiniones devitem neotericos imitabundus, flumen ex Rheticis montibus non longe ab Rheni Rhodanique fontibus oritur. Cunctos Europae fluvios magnitudine superans Strabonis lib. 7. testimonio. Rhenus in Cymbricum mare duobus ostiis influit, Danubium quinque vadis Pontus excipit: auctor est Ephorus citante illum Strabone. Claudi. quoque sui temporis poeta ut doctissimus, 46
ita diligentissimus in victor. Stilic. sic cecinit: Prominet Hercyniae confinis Rhetia silvae, Quae se Danubii iactat Rhenique parentem. Et paulo post: Te Cymbrica Tethys Divisum bifido consumit, Rhene, meatu, Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite. Hunc nos secuti diximus lib. 1. vers. 11. Pomp. autem Mel., Pli. lib. 4. cap. 47
12., Strab. lib. 7. totidem ostiis immergi pelago, quot Nilum suis e fontibus effluere describunt. Nos similiter lib. 4. vers. 316. Sal-

lustius in monte Sarbone hunc oriri et per innumeras gentes Danubium vocari scribit, ubi Illyricum attigerit, Istrum 60 amnibus acceptis in mare involvi. Ausonius: Illyricis regnator aquis tibi, Nile, secundus Danubius laetum profero fonte caput. Nos in hunc modum lib. 2. vers. 13.

Decebalus Dacorum rex longe potentissimus a Traiano Cae- 48
sare devictus. Vide latius in dictione Dacia. Nos ob maiorem fidem verbis nostris adhibendam epitaphium Ulpii Nervae Traiani superioribus annis in colonia Sarmiz ex terrae visceribus erutum adscribere voluimus. Id est eiusmodi: 49

IOVI STATORI,
HERCVLI VICTORI M. VLP. NERVA
TRAIANVS CAESAR VICTO DECEBALO
DOMITA DACIA VOTVM SOLVIT.
ASPICE, ROMVLE PATER, GAVDETE, QVIRITES,
VESTRA ISTA EST GLORIA.

Sed et aliud non minus elegans quam disertum epitaphium anti- 50
quitatis maiestatem prae se ferens in hunc modum subtextam loco superius designato pariter inventum:

FORTVNAE AVG. OMNIPOTENT. 51
VBI ERAS, RHAMNVSIA, VBI ERAS.
QVANTVM ABFVIT,
NE ROMA LVGERET, SED VIVIT THALAMVS.
VAE TIBI, DECEBALE.
MILSS. LEG. VI. ET XIII. G. DEVOT. CAPITIBVS.

Caetera eius albi suo loco adiiciemus candido lectori plurimum placitura.

De litera G. 52

Germania duplex superior et inferior, quae nunc bassa 53
dicitur, utraque magnis scriptorum laudibus celebrata. Haec teste Pli. lib. 4. cap. 14. Rheni ripis usque ad Alpes occidentem versus a meridie ipsis Alpibus, illa ab oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua septentrionem spectat, Oceanico litore obducta est. A Germania Cimbros immensam illam ferorum populorum more procellae inundasse Italiam Iusti. scribit. Hanc tocius Europae primas 54
olim tenuisse partes in re bellica Pli. auctor est. Sed et Pomp. Mel. lib. 3., Strabo idem lib. 4. plura. Tacitus quoque et neoterici geographi id ipsum attestantur. Audi Claud. poe. in vict. Stilic. contra Alaric.: Ullane posteritas credet, Germania quondam Illa ferox populis, quae vix instantibus olim Principibus tota poterit cum mole teneri. Sed, proh nefas, subiit cum miseratione indignatio, 55
quod Germanicus ille decor Herculeumque robur ambitu, luxurie, ganeis, Baccho, continuis variisque simultatibus ac domesticis principum factionibus nedum extinctus, sed oppressus videatur. Quam 56
rem tum commiseratione tum obiurgatione dignissimam reveren-

dissimi illustrissimique principis et domini domini Matth. Langi cardinalis etc. per Germaniam legati ab epistolis meus, inquam, Richardus Bartholinus perpetuum suae gentis decus, utpote vir non solum omni, quos nostra tempestate Latium genuit, eruditissimus, verum etiam facundissimus tam lepide, quam frugi deflevit publica contione, quam ipse nuper in gloriosissimis comitiis proximi anni mense Augusto Augustae Vindelicorum celebratis pro pientissimo Caesare Maximiliano coram innumero principum Germanorum coetu perorabat. Eam simul et comitiorum eorundem syntagma Aeneis 57
excusa prelis mihi vidisse contigit. Porro: Quid iuvat in ventum perituras spargere voces; Narratur surdis fabula litoribus.

De litera H. 58

Hercynia silva Germania omnium celebratissima; haec Boe- 59
miam nostram saepis instar totam undique circuit. De miris silvae huius avibus lege Pli. lib. 10. cap. 47. Strabonem quoque lib. 7. mira referentem consulito. Eius accolae quondam Bructeri vocabantur. Clau. de quarto Honor. cons.: Venit accola silvae Bructe- 60
rus Hercyniae. Nos lib. 5. vers. 382. Boemiam autem Cheruci olim habitabant eiusdem Clau. testimonio, ubi supra, dicentis: Et ingentes Albim liquere Cheruci, — quamquam et aliae gentes utrasque Albis ripas teneant extra Hercyniam silvam. Legito Aene. Silvi. Germanicam cosmographiam.

Hunni Scythiae populi, qui olim super Moeotide palude habita- 61
runt, deinde mutatis sedibus ingenti multitudine Attilam ducem suum sequuti Pannoniam petierunt. Erat Attilae frater Bleda nomine, cui Dacia in regni sortem cesserat a se occupata. Ambo itaque fratres conspirati Macedoniam, Mysiam et Achaiam, utrasque etiam Thracias immanissima rabie pariter devastabant. Attila Bledam suum germanum regnique consortem peremit eiusque sibi parere populos compulit. Haec Paul. Diac. in lib. 15. Ro. gest. exordio et alia complura disseruit. Divus Hier. plerisque in locis rem Christianam 62
deflet Hunnorum caedibus labefactam, de quibus ita inter caetera ab ultima inquit Maeotide inter glacialem Tanaim et Massegetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quae pernicibus equis huc illucque volitantia caedis pariter ac terroris imaginibus cuncta complerunt. Claud. ad Rufi. lib. 1.: Hunnorum laturus opem, 63
quos affore bello Norat et invisis mox se coniungere castris. Est genus extremos Scythiae vergentis in ortus Trans gelidum Tanaim, quo non deformius ullum. Caetera ex eodem collige loco, ubi et mores ritusque Hunnorum belle admodum notavit. Nos lib. 3. 64
vers. 309. Ab his Ungaria, cuius moderni incolae Hungari cognomentum accepere, a quibus Hungaricus, ca, cum vel Ungarus, a, um. Vide lib. 1 vers. 1. et. lib. 5. vers. 448.

Hussitae Boemiae et nativae Moraviae nostrae populi scis- 65
matici ab Ioanne Hus cognominati, quod eius erroneum dogma

contumaciter profiteantur. Erat ille obscuro vir quidem loco et perquam humillimis natalibus editus, verum tam vafro, quam arguto pectore. Plura Pius 2. in Europa sua. Item Poggius ille Florentinus mira. Vide lib. 3. vers. 277.

De litera M. 66

Marisius seu Marisus pe. cor. Daciae vel, si tu mavis, Transilvaniae aurifer fluvius ex Alpibus Transilvanensibus Moldaviam contingentibus profluens. Is imprimis per Siculorum agros labitur, deinde mediam fere Daciam navigabilis perluit et in Tissiam ad oppidum Mico. Strabo lib. 7.: Per ipsos autem Marisus fluvius Danubium influit, per quem Romani milites vasa illis necessaria bellis devehere solebant. Idem ibidem: Daciam regionem Marisius amnis disterminat impraesentiarum. Super eo sales regii provehuntur ad Ungariam. Io. Panno. in epigram. De inundatione: Iam Savus et Marisus, iam Dravus et ipse Tibiscus. Nos lib. 4. vers. 89. 67 68

Moenis, huius Moenis, Germaniae fluvius in Rhenum influens. Hunc vulgus Magonum seu Maium vocat. Tacitus de situ Germaniae: Inter Hercyniam, inquit, silvam Rhenumque et Moenim amnes habitant Helvetii. Pli. lib. 9. cap. 15. Moenum vocat secundi ordinis, nam ait: In Moeno Germaniae amne silurus crassatur. Nos lib. 4. vers. 34. 69

Moesia duplex. Inferior Pannoniae iungitur ad Pontum usque cum Danubio decurrens. Hanc moderni Valachiam appellant. Sueto. in Tiber.: Moesiam a Dacis vastari neglexit. Superior modo Moldavia appellatur. Dacia utramque dividit. Vide superius loco suo Spart. in Adri.: Post hoc in inferiorem Moesiam translatus etc. Pomp. tamen Mela, Ptolomae. et antiquiores illi Mysiam dixere. Pli. similiter Mysiam regionem lib. 5. cap. 30. et Strabo lib. 12. depingit. Moesiae autem lib. 5. cap. 26. meminit et lib. 8. cap. 58. Moesiam Italiae silvam esse scriptum prodidit Pli. Hinc Moesi et Mysi populi. Claud.: Provincia Mysos Expellet citius. Nos modernorum more lib. 4. vers. 307. cum sequentibus. 70 71

Morava pe. cor. fluvius Moraviam nostram patriam fere mediam disterminans oritur in montibus, qui Moraviam a Silesia dividunt, non longe a fontibus Nissae fluvii Nissam civitatem episcopalem a se denominatam irrigantis. Hic supra Bratislaviam Silesiae metropolim praeceps Oderam petit, ille infra Hainburgum Pannoniae superioris oppidum a Danubio devoratur. Leg. lib. 3. vers. 274. 72

Moschi, ut Mela ad finem lib. 2. scribit, Scythiae gentes Tauricis Amazonicisque collimitaneae neque procul a Ripheis montibus habitantes. Vastis et obesis corporibus. Id nobis compertum fecit serenissimus potentissimusque princeps et dominus Sigismundus Poloniae etc. rex suorum regnorum vere Augustus, utpote qui nec indomitarum modo ante se, verum nostris saeculis ignotarum quoque gentium victor quantam hostium caedem patraverit, 73

capta Moschorum manus et ad omnes orbis partes triumphi parti signa transmissa tanti principis gesta Herculea declararunt. Nos lib. 4. vers. 37. Adde Pli. lib. 6. cap. 10. de Moschorum tractu tractantem.

De litera N. 74

Noricum pe. cor. Germaniae superioris provincia, quam Ta- 75
citus a Rhetia Rheno fluvio seiungi memoriae (nescio, an bene) prodidit. Scio nostra tempestate eos Noricos dici, quos Aenus fluvius a Vindelicis separat. His Danubius ad septentrionem, ab solis exortu mons Cecius, qui ad secundum lapidem supra Viennam Pannoniae superioris erigitur, a meridie Taurus et Curnauca montes obtenduntur. Adde Pli. lib. 3. cap. 24. Abundat haec provin- 76
cia ferro et electissimo quidem, cuius Pli. lib. 34. cap. 14. meminit. Hinc Noricus, ca, cum. Ovid.: Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis. Nos lib. 3. vers. 12., sed et Ptole. lib. 2. hunc paene situm Noricis praescripsit, a quibus Norimbergam ad Francones civitatem imperii dictam putat Marlianus vir sui temporis sine controversia non ineruditus. Id ex indice, quem fecit in Caesaris Commentarios, liquido constat.

De litera O.

Odera fluvius Germaniae terminus, nam ad ripam eius dex- 78
tram Poloni, ad sinistram Silesitae accolunt. Hic circa fines Moravorum nostrorum oritur; Vratislaviam, Glogoviam ac Francfordiam celebres urbes alluit.

Olomuntium Moravorum nostrorum metropolis, quae, si unis 79
scismaticorum insidiis simul et popularibus factionibus vacaret, non facile dixerim, feliciorne an beatior esset. Nam, si religionis pietatem spectes, ausim venerabilem urbis eius clerum habitus honestate, morum comitate, hospitalitate et non ficta vitae sanctimonia multis claustrinis monachis anteferre. Patricii denique et municipes 80
Olomuntiani tum ad benignitatem, tum ad humanitatem oeconomicam propensissimi sunt. Nullis gravibus obnoxii vitiis tantum ad voluptatem praecipue conviviorum proclives usque adeo, ut ad publicas etiam vinarias tabernas ex more, quem apud eos longa perversi usus consuetudo approbavit, seu senatorium in praetorium frequentissime concedant. In automato illo horario, quod miris qui- 81
busdam signis semet volventibus affabre elaboratum est, ab mercatoribus extrariis, quibus pleraque pars orbis peragrata est, palma tribuitur uni Olomuntio, quod numeroso eruditorum coetu non paucis Germaniae civitatibus antestat. Porro, ut egregie literatos 82
viros Martinum Sinapinum, Bernardinum archigrammateum, philosophiae magistros ludi literarii Olomucensis quondam monarchas, tunc praeceptores meos immaturo fato sublatos praeteream, quis ignorat Augustinum Moravum serenissimi principis Vladislai Ungariae et Boemiae regis olim vicecancellarium maiorem et patronum

meum singularissimum antiquis illis auctoribus merito conferri potuisse; is nempe soluta oratione et ex tempore meros loquebatur Cicerones, cuius schemata pedestria Vergilium Catullumque subolebant. Quod in literis de reverendo domino Martino Iglaviensi 83
suffraganeo causarum auditore ac in spiritualibus generali officiali affini nostro, quid de clarissimis iurium professis Venceslao de Wilharticz mei tam amantissimo quam observantissimo ecclesiae nostrae Olomucensis diali, quid de magistro Ioanne Suola, de Iano Dubravio archidiacono Olomucensi, de Ioanne Saubekyo, de Ioanne Clementiano, Hadriano de Wilharticz, de Andrea Pisciculo, de Georgio Laetavallino coetaneis symmystisque meis, quid de Georgio Ranatino utriusque iuris licentiato, syndico atque librario senatus Olomucensis, quid insuper de natu minoribus innumeris aliis Olomucensibus optimae indolis adulescentibus, qui Italicis gymnasiis bonarum literarum studia navant, quorum nomenclatio longam Plauti comoediam superaret, indicemus, nam ingenium non esse negatum illis ex lepidissimi viri Clementiani iurium doctoris Ausoniae reditu. Denique ex aliis praesentaneis complurimis argu- 84
mentis compertum habemus, quamquam mihi sane mediocre satis contigerit, ne dicam, exiguum, ut et caetera pleraque, verumtamen sorte mea oppido contentus sum, quod (ut inquit ille) semper inops, quicumque cupit. Sed huc quam longe ab instituto compen- 85
dio distracti sumus, dum dulcis patriae memoramur. At nemo nobis id vitio verterit, quem Ciceronis illud non fugit pro patria armis etiam, non verbis modo depugnandum esse.

De litera P. 86

Pannonia Romanis, Graecis Paeonia, modernis Ungaria Eu- 87
ropae regio orientalis. Hanc Pli. lib. 3. cap. 23. descripsit. Ptolem. in superiorem et inferiorem partitus est. Superior ad montem Cecium olim protendebatur, iam Austriae nomen concessit; inferior ad Moesiam decurrit. Haec a meridie Savo, Dravo ac Iaurino fluminibus irrigatur. Occidens maximum Istrum mittit, arctos Mora- 88
vam, Vaham, Nitriam, Tibiscum, Dacia nostra Marisum, Chrysam, Zamosum. Haec omnia flumina Danubius devorat, antequam Moesiae inferioris oram contingat. Pannoniam olim Hunni, modo Ungari habitant; illi ultra Romanos, quibus ingens orbis paruit, totam etiam Europam belli formidine concusserunt, tanquam essent Marte insuperabiles. Pellege Stauromachiae nostrae lib. 4. principium, ubi 89
pluribus exemplis usi sumus. Isti vix umbram maioris referunt, utpote qui nedum limites suos non propagant, verum etiam magnam Iazygum agri partem (ut interim de Illyrio ac Savonis taceam) a Thurcis occupari permiserint. Speramus spem bonam, ut serenissi- 90
mus princeps dominus dominus Lodovicus Ungariae ac Boemiae rex sanguinarios illos Thurcas propediem a finibus Pannonicis eiiciet, eiectos fundet, fusos et vita et usurpatis collimitaneis Pannoniae provinciis destituet, restituet Pannoniae suae amissum iam-

dudum nomen, cui acclamabitur: Vive, Lodovice, vive princeps, vive, Auguste, Augusto felicior, melior Traiano, Tito amabilior. Panno, Pannonis et Pannonus, a, um, item Pannonicus et Pannonius. Claud.: Hunc obsidione solutus Pannoniae. Nos lib. 1. vers. 17.

Pestum agri Campani oppidum; Graecis Possidonia dicitur. 91
Eius loci territorium ob coeli clementiam continue vernans a Virgilio biferum dicitur, quia quottannis bis fructus germinaret. Rosis abundat et quidem fragrantissimis. Ovid. in Art.: Caltaque Pestanas vincat odore rosas. Idem lib. 15.: Tepidique rosaria Pesti. Hinc Pestanus sinus, de quo Pomp. Mel. lib. 2. de Italia loquens. De- 92
nique Pestum regale oppidum est Pannoniae inferioris e regione regiae Budensis ad ripam Danubii situm notius, quam ut iterum describi debeat non usquequaque a nobis silentio praeteritum lib. 4. vers. 123.

Polonia Europae regio, quae Odera et Vistula seu Istula flu- 93
minibus clauditur. Nonnulli nomen Poloniae adscitum putant, quod Poloni polae campum vocant sermone patrio. Hunc veteres Sarmatiam dixere; vide loco suo. Nos lib. 3. vers. 261.

Praga Boemorum metropolis olim patriarchali sede insignis, 94
modo continuum ob schisma acephalis ab Carolo 4. sui nominis Romanorum imperatore tam variis operibus adaucta excultaque fuit, ut hodie in aedificiorum magnificentia vel cum superba Lygurum Genua vel cum venusta Parthenope merito certare possit. Pragam ab Iove digna regia in monte tam natura, quam opera arteque munito fundata Albis ingens fluvius separat, quem pons tesseratis ex lapidibus sumptuosissime extructus claudit. Duae utrinque turres sunt; altera ex urbe in arcem municipium aditui obstat, altera aulicorum in oppidanos insultium prohibet; utraque suos vigiles habet. Sed illud mirari convenit, quanam ratione et quibus viribus, 95
quo denique artificio in illa gurgitum altitudine tanquam rapidissimo fluvio, unde viginti columnae extrui valuerint, tantarum molum fundamenta harenoso in alveo stabiliri, praesertim cum amnis alio averti non potuerit. Verum nihil est (ut ille docuit), quod non arte atque ingenio vinci possit. Vide caetera ex Boemia Pii 2.; colligito nos lib. 3. vers. 271.

De litera Q. 96

Quinqueecclesiae numero plurativo Ultradanubina inferioris 97
Pannoniae episcopalis civitas Ioannis Pannonii viri undecunque doctissimi natalibus et munere pontificio clara. Alluitur Dravo flumine, qui ad tertium infra urbis moenia lapidem Danubio miscendus permutat nomen et undas. Io. Panno., qui supra in Panegyri. ad Guarinum: Qua mox Danubio mixturus nomen et undas Pinguia culta secat levi iam gurgite Dravus. Nos lib. 1. vers. 264.

De litera S. 98

Sapolia comitatus perpetuus ad radices montium Carpatiorum 99
situatus. In eo Scepusium, Leuconia non ignobilia oppida. Sapo-

liae vero perpetui comitatus rerum ac tit. potitur spectabilis ac magnificus dominus Io. wayvoda Transilvanus suo cum fratre germano nobilissimo pariterque spectabili iuveni comite Georgio Trenziniensi. Perge ad lib. 5. vers. 97.

Savus fluvius ex Tergestinis Carnicis montibus prorumpens, 100
qui imprimis Labaco Carnorum et Berbaso, Bozna ac Drina tribus navigabilibus fluminibus, quos Dalmaciae lucosi montes effundunt, devoratis in Danubium sese praecipitem dat, ubi et Istri nomen assumit Danubius. Clau.: Pannonius potorque Savi. Io. Panno. in epigram., cui tit. fecit De inundatione: Iam Savus et Marisus, iam Dravus et ipse Tibiscus. Pli. libro 3. cap. 5. plura. Nos lib. 1. vers. 175.

Saxones pe. cor. populi Germaniae olim Marte potentissimi; 101
id trium Othonum Romanorum Caesarum gente Saxonica ortorum praeclara illa facinora liquido testantur. Horum gesta Io. Baptista Egnatius vir nostro saeculo apprime eruditus lib. 3. Romanorum principum non minus eleganter quam diserte prosecutus est. Saxo- 102
nia itaque regio est septentrionalis teste Ptole. non longe a Chersoneso Cimbrica distans, quam moderni Daciam vocant et litora Germanici maris aquilonem versus Saxoniae obiiciuntur. Ad occidentem Misnenses et Turingi habitant. Quamquam olim ad Rhenum usque protensos agros occupassent, ab oriente Odera fluvius Saxoniae terminum ponit. Ad meridiem Hercynia silva ac Silesia superior situantur. Totam itaque Saxoniam Albis fere mediam irrigat 103
neque longe a Cimbria super Albim Codanus ingens sinus magnis parvisque insulis refertus est, deinde sinuatis ad occidentem ripis nobile emporium Hainburgum alluit. Hinc spatiosissimo amne maris Acris gremio excipitur e regione insularum, quibus Saxonum cognomento est. Modo generalis loquendi consuetudo usque adeo 104
invaluit, ut Daciae Transilvaniensis Teutonici populi Saxones dicantur, vel quod e Saxonia huc fuerint translati, nam, ut ex chronica Ung. observavimus, Bohemi, Poloni, Graeci, Hispani, Hismahelitae seu Saraceni, Bessi, Armeni, Saxones, Turingi, Mysnenses, Cumani et Latini tempore regis Geychae et S. Stephani hoc regnum occuparunt, vel quod illorum municipalibus utantur iuribus, tum quod prorsus Saxonicos ritus imitantur et vitam. Clau.: Maduerunt Saxone fuso Orcades. Idem: Quicquid avus senior Mauro vel Saxone victus. Nos lib. 5. vers. 278.

Sargetia fluvius Daciae ad regiam Decebali quondam Dacorum 105
regis fluens, modo Hunyadinum arcem aetheream alluit. Haec invictissimum quondam Mathiam Corvinum Ungariae regem edidit in lucem patulam, modo illustrissimi principis et domini domini Georgii marchionis Brandeburgensis etc. serenissimi regis Lodovici tutoris imperio regitur. Decebalus autem subter vada Sarge- 106
tiae amnis haud procul a regia thesauros suos occultaverat, quos Traianus imperator victo Decebalo fataliter invenit. Lege Traiani vitam per Geor. Merul. ex Dion. Graec. traductam. Nos lib. 4. vers. 12. Placuit subiicere epitaphium hanc ob sortem ab Ulp. Traiano positum:

IOVI INVENTORI, DITI PATRI, TERRAE MATRI 107
DETECTIS DACIAE THESAVRIS
CAESAR NERVA TRAIANVS
AVG.
SAC. P.

Sergiam Solinus ex veterum sententia Coteris horreum voca- 108
bat. Ea ultra Danubium est, in qua Sirmium nobile oppidum ac promontorium electissimo vino insigne. Vide Strab. lib. 7. Item Alba Graecanica arx et oppidum ultimi Ungarorum fines, nam Senderoviam Turcus occupavit, velut caetera eius generis, proh nefas, plurima. A Sergia fit Sergiacus, a, um. Vide lib. 4. vers. 312.

Sigismundus Romanorum imperator qui et qualis fuerit, vide 109
Egnatium de Ro. princ. Eius cadaver Varadini sepultum fuit, unde nos allusimus lib. 5. vers. 356.

Siculia extremus Daciae angulus Moldavis contiguus; eius 110
populi Siculi dicuntur. Nemo apud eos ignobilis est, etiamsi manu aratrum versat aut caprario gregi praesit. Scytharum, a quibus originem traxere, moribus vivunt. Magistratus aut iudicatus officia sorte distribuunt. Non abs re super his dixit Ovid. in Ponto: Nulla Getis tota gens est truculentior orbe. Reliqua Pius secundus pont. max. abunde tetigit. Nos lib. 5. vers. 276.

Soerinium castellum ad Danubii ripam nostram situm ultima 111
Pannonum possessio. Quicquid enim ultra est, Thurcae detinent. Sub eo fons visitur, quem accolae Sanctae Crucis appellant, quod in eo salutiferi vexilli pars a Chosroe abscondita fuisse credatur, dum cum Heraclio Caesare proeliaturus esset, per quem et ipse fusus et suae omnes copiae funditus deletae sunt. Extat sacellum S. Crucis in eius rei memoriam constructum Adde lib. 4 vers. 315.

Stauromachia Graecis, Latinis crucis pugna dici potest, nam 112
illi stauron crucem subliciam, id est, palum ligneum fixum ac erectum dicunt. Hinc staurotypus cruci similis et stauroo crucifigo, staurotes crucifixor, carnifex lictor. Vide lib. 2. vers. 199.

Strigon fluvius e montibus Cremniciis prorumpens Danubium 113
petit è regione arcis Strigoniensis, cui et nomen suum impartitus est. Aliis vero placet Histrogranum dici, verum usus communis Strigonium obtinuit. Proinde loquendum, ut multi, ut pauci, sentiendum Varro censuit. De fluvio lege lib. 2. vers. 12. Arcem et divi Alberti templum strictim attigimus lib. 1. vers. 178.

De litera T. 114

Themeson castellum munitissimum ad Pannoniae oras Vala- 115
chiam, seu tu mavis, inferiorem ad Moesiam situm. Quod Georgius Zeglius obsederat. Vide lib. 4. vers. 319.

Thurcas Mela gentes esse tradidit Thissagetis Amazonibus- 116
que collimitaneas vastas occupantes silvas et qui alantur venando. Adde Pli. lib. 6. cap. 7. Nostris et maiorum nostrorum temporibus tanta Thurcas potentia comitatur, ut ultra Asiam et Africam magna

etiam Europae pars illis crucis Christi sanguinariis canibus censum pendat, sed forsan nostra crimina aut eorum, apud quos rerum summa est, dissidia, fastus et ambitio nos in servitutem trahunt. Pellege Aeneam Sylvium et post eum Io. Egnatium nostrum lib. 2. cap. ult., cui titulum fecit de origine Thurcarum, ubi pluribus. Nos lib. 4. vers. 38.

Tibiscus Carpathiis ex montibus oritur sinuoso admodum 117
alveo; per campos Ungaricos usque adeo lente serpit, ut stagnare potius, quam fluere videatur. Hic maximopere piscosus est. Reverendissimi domini mei domini Francisci Wardae nativum castellum Vardam praeterlabitur, tandem prope Titillium Danubio immergitur receptis Transilvanis amnibus. Vide lib. 2. vers. 223.

De litera V. 118

Valachia vulgo, Latinis Vlaccia dicitur. Provincia Pannoniae 119
Cisdanubinae contermina in Pontum usque descendens cum Danubio. Veteres inferiorem Moesiam dixere. Vide superius loco suo. Inde Vlacci Vlacciae populi, quos vulgus Valachos appellat. Vlacci autem (ut in literas retulit Aeneas Syl.) ab Vlacco eorum duce, qui eos primus ex Italicis montibus in Moesiam deduxit, cognominari coeperunt. Hi sunt scismatici, utpote (velut ipsi dicunt) beati Pauli apostoli fidem consectantes. Vide lib. 5. vers. 282.

Ubii Caesare et Pli. lib. 4. cap. 17. Germaniae populi Trans- 120
rhenani, quos nostra aetas Colonienses a metropoli eorum denominat. Vide lib. 4. vers. 34.

Vienna Pannoniae superioris quondam, nunc archiducatuos 121
Austriae celeberrima. Civitas notior, quam ut a me debeat describi. Hanc Io. Panno. argutam vocat, quod illius gymmasio dialecticorum argutiae plus, quam peculiariter praescribantur scholasticis. Ait enim in Paneg. ad Guari.: Germani argutam pro te liquere Viennam. Nos consimiliter lib. 3. vers. 251. Est et alia Vienna in Francorum delphinatu extra Celtas, Belgas et Aquitanos, quam flu. Rhodanus alluit. Vide Caes. Commentarios et post eum Pli. lib. 2. cap. 49. et lib. 3. cap. 4.

Visula, Vistula seu, ut recentioribus placet, Istula flu. Sarma- 122
tiam alteram ab regno Poloniae seperans; eum veteres Germaniae terminum posuere, neoterici Oderam, ut ibidem diximus. Ille Cracoviam principis Poloniae regiam praeterfluit. Deinde irrigata Prussia mare Germanicum influit Dantisci moenia. Legunto lib. 3. vers. 263.

Ungari qui sint, vide supra in dictione Hunni. 123

De litera Z. 124

Zalatna Transilvaniae oppidum temporibus Traiani imperato- 125
ris conditum olim aurifodinis insigne. Extant aliquot elegantissima epitaphia eo loci reperta, quorum uno saltim lectori antiquitatis observanti plurimum gratificabor:

D. M. 126
M. AVREL. ANTONINI MIL. LEG. XIII. GEM.
VIXIT ANN. XXII. MENS. XI.
DIEBVS II. MILITAVIT ANN. V.
LIBRAR. AUREL. MARCIANVS ET
VAL. VALENTINA
FILIO PIENTIS-
SIMO.

Zamozus pe. long. flu. Daciae non longe a Chrysa in iugis 127
Dacicis ad Moldaviam vergentibus. Imprimis orientem versus effluit, tandem, ubi Gyalu arcem episcopalem perfluit, tendit ad austrum et civitatis Colosbariae pomeria radit, rursus ad ortum vertitur et cursu ad arcton curvato iam navigabilis (utpote qui salaria regis, naves ratibus oneratas quotannis evehat). Vulgus Zamos eum ap- 128
pellat. Non longe a Bistricio territorio per vallem emissus abducitur in Ungariam Tibisco praecipitandus. Adde libro 5. vers. 322. Est Samos seu Same insula. Vide Strab. lib. 10. post princ.

Zarmiz urbs ingens et quondam Decebali Dacorum regis sede 129
clara, tandem ipso devicto Colonia Ulpia Traiana Augusta Dacica fuit, modo Varhel ab accolis dicitur. Hoc est locus castri. Id primum Ioannes ille Mezerzius archidiaconus Colosiensis et olim canonicus ecclesiae Albensis Transilvanensis, vir sane multi nominis multarumque literarum peritus et qui ad exquisitam eruditionem praesertim antiquam (quam non perinde multi assequuntur) pervenerit, dum annis superioribus, velut ipsi erat ardens antiquitatum animus, urbis antiquae praedictae ruinas rimaretur, animadvertit, quod ex infra adiectis epigrammatariis inscriptionibus luce meridiana constat clarius.

DIVO SEVERO PIO 130
COLONIA VLPIA TRAIANA
AVG.
DACIC. ZARMIS.

Alterum iterum epigramma perinde disertum atque festivum: 131

I. O. M. 132
ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI
FELICIBVS AVSPICIIS CAESARIS
DIVI NERVAE TRAIANI
AVGVSTI CONDITA
COLONIA
DACICA ZARMIZ
PER
M. SCAVRIANVM
EIVS PROPR.

Adde Stauromachiae nostrae lib. 4. vers. 94. 133

Zeclius praenomine Georgius cruciferorum asciticius dux, 134
Zeclius autem ab Ungaro sermone derivatum et a nobis mollitum

agnomen, nam illi Zeckell eos omnes agnominant, qui ex Siculia oriundi sunt. Georgius ergo Zeclius non ignobili Siculorum genere natus magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque fuit. Huic a puero bella intestina, caedes, rapinae, discordia pa- 135
